



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et  
Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

Liber Secvndvs.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

JOANNIS ALPENI  
PRAEPOSITI SANTENSIS  
De  
VITA ET REBUS GESTIS  
CHRISTOPHORI  
BERNARDI  
EPISCOPI ET PRINCIPIS  
MONASTERIENSIS  
LIBER SECVNDVS.

---

ARGVMENTVM.

1. **C**HRISTOPHORUS BERNARDUS  
*Ratisbonâ redux. Reassumit Comitiam.  
Ordinum dissensio super modo collectan-  
di. Civitates provocant ad Caesarem.*
2. *Lis sistitur. Capituli & Nobilium querela.*
3. *Sueci Legatum mittunt. Tergiversantur Vech-  
tam dimittere. Urgente Christoph. Bernardo  
& Fratre, tandem discedunt. Magnâ omnium  
letitiâ.*
4. *Mallingcrotias inquietus. Chorum denuò frequen-  
tat. Contrâ protestante Capitulo.*

5. *Decla-*

5. Declaratur Irregularis. Vitatur à Capitularibus.
6. Negat valuisse suspensionem. Et quare.
7. Rationes illius enervat Princeps.
8. Contumacior Mallingrotius excommunicatur.
9. Sed flocci pendit. Vitatur. Populi studia. Magistratus conniventia.
10. Odium in Patres Societatis. Favor Religiosorum pro Mallingrotio. Quo stimulatur.
11. Arcetur ab ingressu Ecclesie. Diversa hinc inde scripta affigit. Quae jussu Principis avelluntur. Et prohibentur legi.
12. Princeps resolvit Mallingrotium custodiâ attingere. Scribit id ad Senatum.
13. Respondet Senatus. Et queritur super verbo mandare.
14. Quid replicent Principis Consilarii.
15. Mallingrotius absolvitur ab excommunicatione per Delegatum Nuncii. Litterae affiguntur valvis Ecclesiarum. Non sine populi motu.
16. Christ. Bern. probat processus istius iniquitatem. Congressus Circulorum Westphaliae & Saxoniae inferioris Monasterii.
17. Instante Principe dat resolutionem Senatus.
18. Responsio Consiliariorum.
19. Finalis Senatûs Urbici resolutio. Cum aliquâ querelâ.
20. Concurrentia Bernardorum in hisce negotiis.
21. Mallingrotius jubetur restitui. Implorato etiâ brachio seculari, at Princeps appellat Romam.
22. Populi

22. Populi sermones ac studia. Multi ad haec  
attenti. Omina. Carmina famosa. Conti-  
nuata Magistratus conniventia.
23. Princeps acquiescit Senatorum resolutioni  
Explorat mentem Nuncij.
24. Mandat attineri Mallingcrotium domi sua.  
Exequentibus id Pratorianis, turbatur Civitas.  
Cura Senatus.
25. Mallingcrotius erumpit. Plebs conatur in  
Pratorianos irruere. Aedes Brabeckij mo-  
lestant. Invadunt Collegium Societatis.
26. Pellente Dickhovio recedunt. In plateis ob-  
vios Patres insequuntur. Attonita Urbe. Et  
modestioribus tempora comparantibus.
27. Princeps eo facto irritatus. Citat Senatum.  
Factum exprobrat.
28. Responsio Senatorum. Replica Principis. Qui  
& iniquum Delegati processum palam  
probat.
29. Senatores dimissi per epistolam respondent.  
Id Princeps indignatus. Inventusq; iterum  
in actiones Mallingcrotij. Et tumultuantis  
plebecula. Sublatam brachij secularis im-  
plorationem docet.
30. Mallingcrotius constantiam simulat. Sed  
clam Monasterio egressus. Coloniam abit.  
Ejus Scriab capitur & Abusiam ducitur.
31. Criminationes Plebis. Fama de pulsis Mona-  
sterio Jesuitis.
32. Horum Vindicia.
33. Testimonium Senatus.

34. *Vindicias Societatis Plebs criminatur. Et Urbis innocentiam pari libello Senatus asserit. Eius summa.*
35. *Quid contra hac ovulget Princeps.*
36. *Indicuntur Comitia. Litteras evocatorias loco Monasteriensis Civitatis Warendorpium signat. Contra protestantur Monasterienses.*
37. *Principis in eos invectiva. Responso Monasteriensium.*
38. *Tandem Senatus serio inquit in nupera seditionis reos.*
39. *Armat se Suecia Rex. Varij de eo sermones.*
40. *Et copias auget Princeps. Et cum Principibus Rhenanb fœdus paciscitur.*
41. *Tabula fœderis.*

**D**igressus jam Ratisbonâ Christophorus Bernardus, præproperato itinere reditum in Westphaliam maturabat. Celebratâ apud Episcopum Paderbornensem, in arce Neohusanâ, nascentis Christi solennitate, die Divo Stephano sacrâ, à Joanne Comite Ritbergensi excipitur honorificè, lautoq; habetur. Indè Sassenbergâ exunte anno Monasterium revertit, summâ omnium gratulatione. Mox interrupta aliquantisper Comitia innovari jubet, ad eâque ut emergenti quotidie patriæ damno præveniret, celeriter finienda, animam, operamque omnem impendit. Inter Ordinum

I.  
Christo-  
phorus  
Bernar-  
dus re-  
dux.

Reassu-  
mit in-  
terrup-  
ta Comi-  
tia.

num igitur discordias, superantibus suffragiis, decreta est, evulgataque *capitatio*, ut in subsidium necessitatis publicæ, quisquis Provinciam habitans, nullo personarum discrimine, ratam partem conferret. Eam certè damnari nullâ ratione, sed velut salutare, opportunumque remedium excipi debere, obtendebat Capitulum Cathedrale & Equestris Ordo. Quippè solis ferè paganis, ac misero cuique, gravem hæctenus fuisse Martis sarcinam, opulentioribus modico duntaxat oneri obnoxiiis, ut profectò æquum putarent, & hos partem calamitatis accipere; & illos dispartito inter populares onere sublevari. At verò Civitates palàm reluctabantur; cedere videlicet tributum illud, in solam suorum perniciem; nec majorem in ullo convinci iniquitatem; civium namque & opificum non tantum ejusdem, sed & unius ac alterius Civitatis disparem prorsus esse conditionem, ut vel his fieri gratiam, vel injuriam iis inferri necesse sit. Sed nec adeò tributum hoc genus, quam modum deposcendi iniquum censeri, haud expectato nempe Civitatum assensu, à Capitulo & Nobilitate solâ, inaudito hæctenus exemplo decretum; causam quæ tangat omnes, non pluribus, sed omnium calculis approbari oportere; & quoniam istiusmodi capitatio à Principe contra morem majorum admissa

*Civitates pro-  
vocant  
ad Casarem.*

Civitatum assensu, à Capitulo & Nobilitate solâ, inaudito hæctenus exemplo decretum; causam quæ tangat omnes, non pluribus, sed omnium calculis approbari oportere; & quoniam istiusmodi capitatio à Principe contra morem majorum admissa

missa jam, ac publicata erat, gravata ex eo Civitates Casarem appellare. Certantibus ita, hinc querimoniis, & iterata ad superius Tribunal provocatione, illinc auctoritate & imperio, partium studiis, aliquot decurrunt menses; quibus tam parum emonebatur decreta capitatio, quam Patria levabatur Suecorum presidio. Præ-

2.

sensitiscens igitur *Christophorus Bernardus* Lis sistitur. ægrè adduci Civitates, immò ne adduci

quidem, remissiùs rem urfit: præsertim cum Monasterienses quinquaginta Imperialium nummorum millia (qualis ex eâ capitacione summa sperabatur) fide suâ coacturos se sponderent, & si reliquum deindè Paræciis pro more patrio imperaretur, congruentiùs multò, ac suaviore viâ, videret satisfieri posse Suecorum postulatis.

Non ideo tamen, querebatur Capitulum & Nobilitas, creatam eâ cunctacione jacturam Provinciæ compensari; quam quinquaginta Imperialium millia excessisse hac ratione supputabant. *Ineatur calculus eorum, quæ à tam numeroso Clero, tam amplâ Nobilitate, tot utriusque sexûs Religiosis, tantâ Ministrorum multitudine, à Magistratibus denique Civitatum, Oppidorumque, qui publicis nunc oneribus immunes essent, ex hac capitacione universali fuissent contributa; considerentur ingentes illi Ordinum sum-*

Capituli  
& Nobilium  
querela.

1654.

tus, prolongatis ex eâ Civitatum reluc-  
 etatione tam diu Comitibus impensi; so-  
 luta Sueco quot mensibus septem millia;  
 & nunc etiam post itineris impensas,  
 exposci millia sex, ceu congiarium, pro  
 accelerati fœnoris beneficio, apud Am-  
 stelodamenses fœneratori offerendum;  
 quantam non summam adæquent? quo-  
 rum omnium solutio cumulatis postea  
 exactionibus, tantò futura sit patria  
 difficilior, quantò ex unius capitacionis  
 solatio, facilius hodie levamentum.  
 Nihilò tamen minùs Princeps, sivè quod  
 benignius agere cuperet, sivè quod etiam  
 Civitates validiùs impellere tunc quidem  
 importunum crederet, & ne inter eam  
 Ordinum altercationem diutiùs protrahe-  
 retur festinata præsidii Vechtenſis abductio,  
 oblatas à Civitatibus conditiones tandem  
 admisit. Et hæc primùm Comitibus dissi-  
 dia pullulare cœperunt, quorum ego pro-  
 gressus malorum sic in præsentia narratu-  
 rum me spero, ut qui iudicium adferent,  
 affectionibus incorruptum, partiumque se-  
 curum, sinceram probaturi sint in scribente  
 fidem.

3.  
 Sueci Le-  
 gatum  
 mittunt.

Advenerat jam Ratisbonâ Monasterium  
 Hoffstetterus Suecorum Ablegatus, qui  
 post pecuniam sibi numeratam Vechtâ præ-  
 sidiarios educeret. Et hic quidem nihil æquè  
 simulabat, ac parati æris desiderium, & Im-  
 perij



perij decreto, votoque Principis deferendi promptitudinem. Sed à quibusdam Nobilibus, qui eodem in diversorio quotidiani victores erant, in tanto ære corradendo meram persuasus presentis patriæ statûs impotentiam, ex iis etiam Ordinum contentionibus, non parùm auctam, nihil minus intendebat; nec aliud sperabat certius, quam Suecos præsidium *Vechtense* continuaturos, inexplicabilem futurarum non minus, quam præsentium utilitatum occasionem. *Christophorus Bernardus Tergignarus* omnium, vel eò studiosior argentum undique conquirebat; & inventum tandem, congestumque ab exteris, à Ministris, à Mercatoribus, à patriâ totâ, paratum obtulit Aëlegato. At hic quæsitis novis in dies singulos effugiis, moras necebat, nec nisi tardè ad rationes æquas poterat adduci. Verùm hac difficultate tandem quoque superatâ, rursus alia exurgebat. Licet enim æs jam numeratum, receptumque, & uti conventum prætendebant, extra diœcesin *Oldenburgum*, Comitum sedem, matuâ Principis operâ transvectum esset, necdum tamen *Vechta* tradebatur.

*Christophorus Bernardus* ab evacuatione haud futurus procul, ad viciniam cellerrimè vectus, in arce *Dincklagen*, tribus leucis *Vechtâ* distante confidebat. *Henrico*

Urgente  
Christ.  
Bern. &  
Fratre.

1654.

128 / CHRISTOPH. BERNARD.

*rico Baroni de Galen* germano fratri ac  
Vechtensi Satrapæ in mandatis dat, ut post  
exsolutum nunc æs militaris præsidij dis-  
cessum, & munimenti restitutionem apud  
militiæ Præfectum maturet. Sed hic æque  
ac miles pertinax, esculentis ac donativis  
pasci assuetus, nunc hanc, nunc illam mo-  
ræ causam prætexebat, ægrè admodum, uti  
apparebat, è loco tam utili migraturus.  
Enimverò Princeps celeritate utendum cer-  
tus, eâ meritò cunctatione offensus, obte-  
statur Imperij totius voluntatem, ipsius  
Coronæ Suevicæ fidem, & utriusque existi-  
mationem, atque iterum, & severius Fratri  
mandat, actutum regrediatur *Vechtram*,  
oggerat hæc Præfecto, ejusque ac militiæ  
mentem, velintne cedere, postremum ex-  
ploret; scire se si negent, quid facto opus;  
nec ullum unquam fore, qui emer-  
gerentis ita novi in Imperio belli cau-  
sam aliquando sibi possit imputare. Fra-  
ter non minùs generosè, quam pruden-  
ter hæc exequitur, nec passus munificen-  
tiam desiderari, Præfecto & militiæ author  
est, ut eodem die (erat decimus tertius  
Maij) sub tempus pomeridianum, ad tym-  
panum pedites, equitesque excedant. In  
campo eam noctem morati, liberaliterque  
habiti, vix postridie *Wildeshusum* transie-  
runt, cum ecce novis è Sueciâ mandatis  
jussi feruntur, *Vechta* possessionem, ac  
præ-

*Tandem  
disce-  
dunt.*

præsidium continuare. Id quod tamen  
 mihi extra famam incompertum est. Sed  
*Christophorus Bernardus* abruptâ quavis  
 morâ, exeuntibus è vestigio succedit, *Vech-*  
*tam* ingreditur, militem suum imponit,  
 & solenni, sed incredibili incolarum ac  
 totius patriæ lætitiâ DEO grates agit, quod  
 post tot calamitates, curas, ac labores,  
 omni tandem præsidio hostili, Provinciam  
 universam liberâset. Nuncio mox Ratis-  
 bonam, Romamque delato, exceptoque  
 ingenti ubique plausu Pontifex, Impera-  
 tor, Principes tam felicem exitum *Chri-*  
*stophoro Bernardo* gratulati, & ipsi con-  
 ceptam inde animi voluptatem abundè te-  
 stabantur.

*Magnâ  
 omnium  
 lætitiâ.*

Nihil à pacatâ nunc Germaniâ, nihil  
 à conterminis Provinciis timebatur; do-  
 mestica solum dissidia bonorum animos  
 distinebant. *Mallingrotius* exortarum  
 in Comitibus simultatum occasionem nactus,  
 quum animadverteret magnam fore par-  
 tem Civium offensam, enimverò uten-  
 dum sibi duxit eâ rerum opportunitate,  
 ratus, si illa offensionum initia, quæ ex  
 uno latere satis per se complures fovebant,  
 ex altero ipse clam aleret, conatus haud  
 dubiè successuros. Ergo telam sic ordiri  
 placuit.

4.  
*Mal-*  
*lingcro-*  
*tius in-*  
*quietus.*

Illuxerat Divi Jacobi pervigilium, Ca-  
 pitularium frequentiâ insigne; quo colla-  
 to frequen-

*Chorum*  
*denuo*  
*to frequen-*  
*tat.*

to cum mentis suæ consciis jam pridem consilio chorum, quem à biennio non frequentârat, denuò subingressus, occupatâ Decanali sede posuit eorum fundamenta motuum, qui cum Monasterienfium & sui ipsius exitio tot annos duravere. Et quanquam amicorum nonnulli, quibus haud perindè probabatur ista novatio, persuadere viro nitentur, ab iis, per DEUM, desisteret captis, quibus non exiguam ejus causa jacturam acciperet; facilius enim expectari posse ad Martium mensem, quando terminatâ *suffensione*, plenâ authoritate pristino restitui oporteret. Sed hisce facilè rejectis, vir quippe suo apte ingenio ab aliorum consiliis, si ultro præsertim offerebantur, aversus suam, eorumque mentem pronus sectabatur, qui propositi constantiam suadebant, specie quidem retinendæ dignitatis, re autem verâ, ut ei litium summam conficerent, cui succumberet.

*Contra  
prote-  
stante  
Capitu-  
lo.*

Cum autem non suo solius ausu, sed Capitularium plerorumque consensu in ædem rediisse vulgo crederetur; Collegium Cathedrale id temeritatis, primum injuriam, Tabellionis operâ, dein facti insolentiam æquè ac ignorantiam, scripto publico testatur. Verùm *Mallingerotius*, verbis iis facilè posthabitis, ingressum chori & Decanalem, ut ante, sedem continuabat.

Pro-

1654.

Procurator Fisci ex violatâ tot actibus  
 censurâ, ab Episcopi Judicis officio, præ-  
 varicationis poenam exposcit. *Christophorus  
 Bernardus* & Cathedralis etiam Collegij  
 querelâ imploratus *Mallingcrotium* tan-  
 quam duplicis, Apostolicâ scilicet &  
 Episcopali authoritate, latæ *suspensionis  
 transgressorem*, propriâ Kalendas Au-  
 gusti *Irregularem* pronunciat, & ni porro  
 contineat se, anathema minatur. Sed nec  
 idè ab ingressu chori, vel sacris *Malling-  
 crotius* abstinere; quin contra auden-  
 tior, crebrius quotidie templum frequen-  
 tabat, majore semper applaudentis & ani-  
 mantis populi concursu. Nam observa-  
 tum est ab eo, quo chorum conscenderat  
 die, tantam semper hominum multitudi-  
 nem, opifices plerumque & operas, tur-  
 bis miscendis genus aptum, feriatis etiam  
 diebus ad principem ædem confluisse,  
 quanta vix alias solennioribus illhic visa  
 fuit. Allectabat nimirum spectatores, ac  
 cedente Decano festinanter recedere Ca-  
 nonicos, filere Sacerdotes choralesque,  
 abrumpi canentium voces; iterumque  
 alios subindè ad cantum à Decano fero-  
 cius compelli. Eam namque Canonici  
 Theologorum opinionem sequebantur, qui  
 sentiunt *denunciati suspensi* consortium  
 vitari oportere.

5.  
 Decla-  
 ratur  
 irregu-  
 laris.

6.  
 Vitatur  
 à Capi-  
 tulari-  
 bus.

Ut autem eo fulmine, prorsus imme-  
 reter *Negat  
 valuisse*

1654.

suspensio-  
nem.Et qua-  
re.

reter, tactum se conficeret *Mallingcro-*  
*tius*, suspensionem assererat contra sacri  
juris præscripta statam esse, adeoque nec  
ab initio unquam valuisse. *Episcopos*  
namq; *Monasterienses* juramento prohi-  
beri. ne quam intra septa immunita-  
tis *Ecclesia Majoris* jurisdictionem exer-  
ceant; *cujus circumferentia* uti non  
tantum includi se, sed & *primariam*  
istius partem esse liquido constaret, ita  
nec potuisse ab *Episcopo*, omni potestate  
destituto, canonicè suspendi. Nec mi-  
rum debere vel absurdum videri, quod  
*Episcopo* in præcipuum diæcesis totius  
locum jurisdictionem liceat ejurare, cum  
pluribus in locis *Cathedrales Ecclesia*,  
imò totus *Leodiensis Clerus* à *Præsulis*  
sui jurisdictione exemptus dignoscatur.

Sed & ipsum pridem ad *sedem Apo-*  
*stolicam* provocasse; esset autem iure  
certum, quod appellatio ad *Judicem su-*  
*periores* interposita suspenderet *Infe-*  
*rioris* potestatem. Neq; *frivolam* illam;  
sed *gravissimarum rationum fundamen-*  
*tis inmixam* esse. Quâ præmissâ, si ni-  
hilominus *Judex* præsumat suspensionis  
sententiam ferre, eam omnino nullam,  
imò & *vitio attentati obnoxiam* cen-  
seri.

Et verò minime suspendi potuisse,  
qui nunquam convictus sit deliquisse.

Cur

Cur igitur impediretur chorum frequen-  
tare & id cum primis exequi, quod à se  
postularet vocationis & officij obligatio  
Decanalis? *Adhac non semel petivisse  
instanter, adire sibi Principem ut lice-  
ret, Ejusq; dexteram exosculari, oppor-  
tunissimum scilicet ponendæ simultatis  
medium; sed bis eadem severitate ad-  
missum non esse; obtulisse toties parti-  
tionem, nec tamen unquam, sponta-  
neâ etiam submissione, & obedientiâ po-  
tuisse quidquam obtineri.* Hæc in char-  
tis sic explicata, quò latius in vulgum, ac  
celerius diffunderentur, plurium descripta  
manibus committit eorum fidei, quorum  
operam noverat miscendis rebus suapte  
naturâ proclivem esse.

*Christophorus Bernardus, ut primùm  
istiusmodi schediafmata ad manum deve-  
nere, ne quo fortè præjudicio sinceræ  
mentes occuparentur, ocyus jussit, & hoc  
quidem ordine, singula confutari. Quam-  
vis enim primò Episcopum inter & Col-  
legium Cathedrale conventum ac jura-  
mento etiam firmatum esset, non de-  
bere nec velle Episcopum intra septa  
immunitatis Collegij exercere jurisdic-  
tionem; notam tamen esse juris regu-  
lam, quæ mutuo consensu coaluerint,  
mutuo pariter consensu dissolvi posse.  
Esset autem in aperto, quantâ conten-  
tione*

7.  
Rationes  
illius  
enervat  
Prin-  
ceps.

1654.

tione Principem Capitulares imploraverint, ut qua Decanus patravit enormissima scandala, pro officio removeret. Quod si verò hoc ne quidem casu liceret Episcopo ius & jurisdictionem exercere, quo quis igitur peior esset ac protervior, nec a Capitulo corrigi posset, eò & impunitiorem fore, absurdissime sequeretur.

Sitne Capitulum ab Episcopi jurisdictione exemptum, questionem esse nunquam hactenus agitatam, & quidquid sit de Leodiensi, certo constare de Monasteriensi Clero, omnem illum Antistiti suo subiectum esse.

Appellationem extra iudicium, sine scripturâ, absq; gravaminum deductione interpositam; adeoque manifestò nullam fuisse; sed nec ea potuerit Episcopum ligare, cui nunquam fuerit intimata, præterquam quod in tantâ excessuum evidentiâ non solum admitti non debuerit appellatio, sed admissa etiam, latam jam ante suspensionis sententiam nequeat remorari.

Quis autem negaverit illum deliquisse, qui tantâ cum temeritate censuras violârit? tantâ cum populi offensione interturbârit rem divinam? tam protervè contempserit mandata Principis & Pastoris sui? animo tam contumace  
debitam



debitam recusârit venerationem & obsequelam? Et quid gravius vitio idololatria, cui inobedientiam cômparet sacer textus?

Auditum adhuc per eos dies dixisse Mallingerotium, Electionem quantumvis à Pontifice & Romana Curia Proceribus approbatam, confirmatamque nunquam se tamen uti canonicam agiturum. Et talem ad aures Principis meritò admissum non esse.

Sed & oporteat illum reminisci, quam atroces in Prasulem suum injurias, apud Casarem Ratisbonæ, toto quasi conspectante Imperio, & apud alios, alibi conjecerit, quas osculo dextera duntaxat unico, ceu gratia tesserâ, leviter abolere, indignum foret Principis & Episcopi majestate. Oblatam aliquandò partitionem tabulas anteaactorum omnes pernegare, quamvis decuisset ac debuisset Pontificis & Casaris iussa sequi, Principem ut herum suum venerari, Episcopi censuram uti Pastoris sententiam timere, & oblatâ condignâ satisfactione absolutionem flagitasse. Continuis ita scriptionibus inter Principem, Capitulum ac Mallingerotium quotidie certabatur. Interim plebi, alienatis jam semel animis, argumenta Mallingerotis, uti vero propiora faciliùs persuadebantur.

Cum

1654.

8.

Contu-  
macion  
Malling-  
crotii ex-  
communicatur.

Cum autem multos expectatione suspensos, intentosque haberet ea praesertim causa, quae tanto populi studio fovebatur, & in horas cresceret *Mallingcrotii* contumacia, *Christophorus Bernardus* cernens etiam sub interminatione anathematis interdictum ingressum Ecclesiae, pari temeritate posthaberi, ad preces Procuratoris Fisci, consultis tamen antè Primoribus divinae facultatis & sacri juris interpretibus, à piorum Societate hominem segregavit. Quò causae penitus & plures innotescant, haud piget ipsa anathematis verba hic adscribere, prout è suggestibus recitata, & valvis Ecclesiarum affixa sunt, sub hoc tenore.

Quandoquidem *Bernardus* à *Mallingcrott* ante hac, & quidem sextà Martij Anno nuper quinquagesimo secundo, illam potissimum ob causam (reliquis pro hac vice praeteritis & brevitate amore subicitis, suis tamen locis & temporibus debite prosequendis, & urgendis, illumq; in finem omni meliori modo reservatis) quod post obtentam à Nobis & Venerabili Capitulo Nostro Apostolicam confirmationem, ac eandem in & per Civitatem ac Diocesim nostram *Monasteriensem* debite publicatam, obedientiam & reverentiam vigore Apostolicorum rescriptorum & manda-

mandatorum Nobis debitas, etiam in Ecclesiâ Nostrâ Cathedrali; nec non processionibus publicis, cum gravissimo totius Cleri & populi Nobis concrediti scandalo exhibere palam & publicè detrectare præsumpsit, Canonice à Nobis suspensus; & postmodum ad Fiscalis Nostræ humilem, devotamq; implorationem ac instantiam, cum ulterius inobediens refractarius existens, suspensionem Nostram canonicam, sæpissime pro libitu, ac voluntate suâ violaret, seseq; non solum in Vigiliâ & ipso S. Jacobi festo ad Ecclesiâ Nostræ chororum (à quo tamen multo tempore censuram suspensionis dubio procul timendo, illamq; agnoscendo, abstinerat) nec non locum Decanalem & stallum, uti valgo ajunt, occupando violentè intruderet, sed etiam sæpè numero Sacrum legere, celebrare & divina peragere, suspensione Nostrâ totali & canonicâ omnino vilipensâ ac posthabitâ, publicè præsumeret (cum tamen partium suarum & devotionis à subdito superiori, & Episcopo debita fuerit, sententiam Pastoris sui, sive justam, sive injustam juxta Sacrorum Canonum præscripta timere & revereri) à Nobis irregularis notificatus Decanus, prout hac omnia non solum in patenti scripto

K

pro-

1654.

138 CHRISTOPH. BERNARD.

protestationis venerabilis Capituli No-  
stri, sub dato 25. Julij, ipsi per No-  
tarium & testes insinuato, atq; ad val-  
vas Ecclesie Nostrae Cathedralis publice  
affixo, sed etiam e Decreto Nostro no-  
tificationis, incurse ipso violentiae facto  
Irregularitatis in Civitate Nostrâ Coes-  
feldiensi trigesimâ Julij ejusdem proxi-  
me elapsi mensis exarato, de Ambone  
per totam Diocesin Nostram publicato,  
atq; ad valvas Ecclesiarum ubiq; simi-  
liter affixo, latius apparet, ad qua  
Fiscalis Noster se humillime retulit:  
binas ejusmodi censuras in ipsum debite  
& canonicè prolatas, ulterius contem-  
nendo, & planè vilipendendo ad de-  
monstrandam magis publicè, & eni-  
xius refractariam suam oppositionem,  
& inobedientiam à primò currentis  
mensis Augusti, usq; in hodiernam diem,  
quotidie non solum ad choram & divi-  
na sese propriâ temeritate ingerere, de  
facto presumpserit, sed etiam divinum  
officium & cantum in choro Ecclesie  
Nostrae Monasteriensis, scandalosissime,  
& summè punibiliter confundere & per-  
turbare non erubuerit, dum sese de fa-  
cto, & violenter ulterius intrudendo  
illud suo temerario ausu, & punibili  
facto effecit, quod ad ipsius sese inge-  
rentis praesentiam reliqui in choro praesentes

fentes (quibus officium divinum & cantum ipso presente continuare, à venerabili Capitulo Nostro inhibitum fuit) discedere, & cantus cessare, ac pulpita vacua, cum magno omnium Civitatis Nostræ Monasteriensis incolarum scandalo, relinqui debuerint; quinimò è loco, & stallo Decanali, tertià huius, inaudito hucusq; exemplo excurrens, Sacerdotem in summo Altari celebrantem inter ipsa Divini Sacrificij Venerandissima Mystera turbare, ad dandam benedictionem Diacono tum quidem temporis, citra ejus presentiam Evangelium cantare obligato, sed ad mandatum à sapius memorato Venerabili Capitulo Nostro factum justè renuenti, præterea & ipsum Diaconum ad cantandum Evangelium violenter cogere, Vicarios & Chorales ad cantandum animare, & illis hæc omnia impunita fore, seq; defendere velle, promittere & spondere, nec non alia scandalosa quamplurima perpetrare & peragere nullatenus verècundatus fuerit, aut timuerit. Debuius tandem, quamvis inviti omninò, instante Nostro Fiscali ad ulteriora publica scandala in Ecclesià DEI præcavenda, & ut cultus Divinus in omni tranquillitate & quiete perageretur, ipsi suspenso & irregulari

1654.

Decano ingressum Ecclesia Nostra Cathedralis de consensu & præscentu sapius memorati Venerabilis Capituli Nostri sub Excommunicationis Majoris ipso facto, absq; ullâ ulteriore monitione, aut declaratione, incurrendæ pœnâ inhibere, & gravissime interdicerè; ut latius patet è Diplomate Nostro cum in finem insinuato, & affixo, ad quod similiter Fiscalis Noster se devotissime referebat; & quamvis rebus ita manifestè & notoriè constitutis speraverimus, ac in Domino sincerè confisi fuerimus, sapius fatum Bernardum à Maltingeròt per præmissas salutares disciplinas ac correctiones tandem aliquando ad saniozem mentem rediturum, ac consilia prudentiora cum humili, uti decebat, submissione, reverentiâ ac deprecatione, amplexurum fuisse, ut ita absolutionem tam à Sanctissimo Domino Nostro quam à Nobis obtinere mereretur; attamen re ipsâ, & facto experiri debuimus, uti & absq; eo à Fiscali Nostro Nobis humillime remonstratum fuit, quod omnibus salutari- bus disciplinis & correctionibus scandalosissime, atq; summe punibiliter spre- tis & rejectis, in Episcopalis Nostra dignitatis, Principalis respectûs & Jurisdictionis Nobis competentis gravissi- mum

1654.

Ca-  
pius  
ostri  
ipso  
one,  
in-  
ui  
eum  
uod  
time  
ma-  
eri-  
fue-  
tal-  
sci-  
ndo  
ac  
uti  
as  
ut  
Do-  
ere  
cto  
o à  
on-  
ri-  
an-  
re-  
tra  
fu-  
ssi-  
um

mum contemptum, & palpabilem pesti-  
me sequela despectum, quo lenius &  
longanimius cum ipso agere, ejusq; pu-  
nibilia perpetrata, & acta patientius  
aquo animo perferre, & patientissime  
jam ab aliquot annis tolerare voluimus,  
tulimus ac toleravimus, eò magis ipse  
à Mallincroft in suâ inobedienciâ &  
contumaciâ obstinate & contumaciter  
consistat, permaneat, ac planè infor-  
descat, dum contemptis & vilipensis  
prioribus & pramissis omnibus, planè  
refractarie & manifestè rebellando, Ec-  
clesiam Nostram Cathedralè ingredi,  
chorum intrare, in Sacristia & alibi  
Missa officium legere, plurimiq; alia  
punibilia, & scandalosa, perpetrare,  
presertim ipsum Divinum officium quo-  
tidie ferè sub ipsâ etiam elevationè  
Sanctissimi Corporis Christi turbando, &  
coram omni fidei Populo (quem etiam  
contra Nos concitare, commovere, atq;  
à Nostrâ devotione retrahere velle,  
non levibus constat indicis, presertim  
ex frequentiori & planè insolito ejus-  
dem populi accursu) confundendo, atq;  
quantum in ipso fuit, impediendo, aut  
daciter, pertinaciter, & omninò in-  
obedienter non erubuit, censuras quas-  
libet, clavèsq; Ecclesiæ palam contem-  
nens; ut autem tantus, tamq; gravis

1654.

142 CHRISTOPH. BERNARD.

contemptus, tantâq; inobedientia, pertinacia, obstinatio & impœnitentia, graviore coerceatur pœnâ, & crescente in delinquente delicto & contumaciâ, etiam augeatur, & crescat in Ecclesiâ DEI punitio; ideo Nos ad ulteriorem Fisealis Nostri instantiam, humilémq; implorationem, DEUM & sanctam justitiam præ oculis habentes, & ut exemplo unius non ex inferioribus, subditi discant, promptè suis obedire Prælati ac Superioribus, scandala & pernitiosa exempla tollantur, & Ecclesiastica disciplina vigor & rigor conservetur, de expresso consensu, & præscitu Venerabilis Capituli Nostri, sepefatam Bernardum à Mallincroth suspensum & irregularem Decanum, ob tot perpetratos, toties iteratos, & repetitos, sub Excommunicationis, absq; ullâ ulteriori monitione aut declaratione incurrenda pœnâ prohibitos & punibiles a&us, ipso temerariæ transgressionis & refractariæ controventionis factò, in Excommunicationem Majorem incidisse, atque huic gravissimâ omnium in Ecclesiâ censura jam tam à tempore illo innodatum esse & fuisse, ac ideo eundem tanquam excommunicatum ab omnibus Christi-fidelibus sub pœnis, & censuris juris vitandum, præsentibus



sentibus Nostris litteris denunciamus, notificamus, & respective in virtute sancta obedientia omnibus Nobis subditis, ac fidelibus cujuscunque Ordinis, Religionis, status aut conditionis existant districtè precipiendo mandamus; volentes ac precipientes non solum debitis hac locis intimari, sed etiam per totam Diocesim Nostram de Ambone publicari, & ad valvas Ecclesiarum ubiq; affigi, salvis tamen in omnibus Processibus Apostolicis, & aliis à Fiscali Nostro jam institutis, aliisque censuris aliunde incurtis. Decretum & signatum in Civitate Nostrà Coesfeldiensi, vigesimâ nonâ Augusti, Anno millesimo, sexcentesimo quinquagesimo quarto.

Sed Mallingerotius, & cò parum terculamento percussus, nihil propterea mutabat, tantò in æde sacrâ frequentior, quantò videbat suum isthic consortium studiosius evitari. Ipso namque sacram ædem subingresso fugere Capitulares, cessare cantus, omitti horariæ psallentium preces, abrumpi sacrificia, extinguere candelæ, quæque aliàs sacris interdicto fieri assolent, gnaviter expediri; attonitâ primùm, suspensâque plebe, mox etiam Decani commiseratione, posthabito sacri Ordinis respectu, in calumnias effusâ; Chorifugas illos, post dira-

9.  
Sed flocci pendit.

Vitatur  
uti Ex-  
communicatus.

1654.

*Magi-  
stratus  
conni-  
ventia.*

rum, furcarumque imprecationem, dignos esse, qui non ex æde solum, sed & urbe & orbe expellantur. Neque verbis tantummodo certatum. Diplomata, quibus sacrorum Decanus interdictione corripiebatur, ut primùm Ecclesiarum propylæis affixa erant, mox hic lacera, isthic avulsa, alibi fœdis conspurcata for-  
dibus viscebantur. Enimverò ejusmodi facinora pleraque erant execratione multorum prædamnata: nec tamen ideò Senatus, quamvis hæc invito etiam Principe fieri, nec aliò, quam ad seditio-  
nem spectare, haud obscure prævideret, negotium uti par erat, dispellere festina-  
vit. Suadebant providentiores, certè non pauci, ut istum vulgi favorem, ac prona erga Decanum studia celeritate præ-  
ciderent; ut anteverterent motibus, ad quos excitandos hujusmodi facta & sermo-  
nes seu veri, seu ficti, apud homines tur-  
barum avidos juxta valerent; ut iis sta-  
tuerentur pœnæ, qui Basilicam D. Pauli spe-  
ctandis tantum, animandisque Decani fa-  
ctionibus adirent. Sed quod adeò bene  
monentibus obtemperatum non sit, suâ  
Senatores indulgentiâ & cunctatione postea,  
cum eorum autoritas apud plebem ferè  
concidit, experti didicere, quantum vi-  
rium morbis accedat, procrastinatione  
mediorum; quæ si essent in tempore ad-  
hibita,

hibita, omnes plebi factionis nervos succidissent, & animum Decano pervicacem.

Is enim auctis in dies singulos odiis populo utebatur, non ad Principis solum, Capitulariumque, sed & Jesuitici nominis execrationem. Hi namque quod jure Decanum sacris interdici affirmassent, apud vulgum viri studiosum, infames, invisique; uti turbarum omnium, ita & harum precipui audiebant incentores. Quippe concilio à Capitularibus per illud tempus hortulo seu terræ particulâ, extendendis Collegij ædificiis, orientem versùs peropportunâ, merum per favorem, execrando *Jesuitas* programmati subscripsisse, Intenditque suspicionem, quod Theologorum alter è Societate (erat is Petrus *Witfeldius* rarâ eruditione, veteraque multarum rerum usu venerandus senex) Decanum à sacris amoveri posse judicârat, quoniam electione Romæ comprobata, ipse ad Imperatorem conversus, laboraverat seculari manu potestatem Ecclesiasticam impedire. Id uti ab aliis item consultis tactum non erat, ita suo arbitratu creditus est addidisse, eò proniore ad hæc populo, quò contrarium à cæteris Religiosorum familiis viderent, si non aperte defendi, saltem uti verisimilius amplexari. Hi namque

10.

*Odium**in PP.**Societa-**tis.**Favor**Religio-*

K 5

templa

1654.  
 sorum  
 pro Mal-  
 lingcro-  
 tio.

templa sua, cænobiaque ingressum hono-  
 rificentius excipere, studiosius observare,  
 præsentì condolere, coram aliis commise-  
 rari; eorumque Buccinatores aliqui, in  
 mores, injustitiamque dominantium (the-  
 mate auditoribus haud accommodato) non  
 furdis vulgi auribus assidue atque acerbè  
 declamare; quorum turbulentis concioni-  
 bus, privatisque paucorum dictis, tan-  
 quam sacris imbuti multitudinis animi,  
 magis, magisque impellebantur. Quin  
 etiam in frequenti concione recitandum  
 sacræ proscriptionis diploma, contra suam  
 (sic enim exprimebant nonnulli) men-  
 tem agere se invitos, coactosque palam  
 præfati ita obiter perlegere, ut murmu-  
 rantes singuli, recitantes vix quisquam in-  
 telligeret. Prudentiores, & ex ipsis etiam  
 Religiosis, consodalium suorum dicta, fa-  
 ctâque demirati, ab eorum modestiâ re-  
 quirebant, præbere cæteris obedientiâ, ad-  
 versus Præsulem documentum; id Religio-  
 so instituto propius esse, quam importu-  
 nis palàm vociferationibus, aut seditiosis  
 privatim incitamentis, rem optimam cor-  
 rumpere, & adeò præcipitem latenti adhuc  
 exitio viam parare. Illi contrà non ste-  
 tisse Principem juris viâ lamentabantur,  
 dum omisâ denunciatione Decanum su-  
 spenderit, & quanquam in tantâ exces-  
 suum evidentiâ necessariam eam non fuisse,  
 idque

idque peritissimos Romanos Judices & illustriores Germaniæ Acadêmias sentire, Princeps publico etiam typo docebat; ipsi tamen præconceptæ jam mentis suæ tenaces, populum in eam quoque sententiam de se prouum facillè trahebant.

Nec uspiam studiosior *Mallingerotius*; *Quo stimulatur.* ubi enim vidit indies augeri populi studia; eaque tam serio foveri quorundam Religiosorum ope, nihil æquè percellere animos, atque vulgatam sui viri grandævi, præclarè de patriâ meriti, tamque innocenter patientis injuriam; ille rem amplificando, Principis severitatem, Capitularium odia, Jesuitarum blanditias, argumenta inclinatis ad suspensionem animis idonea permiscendo, mirum quantum & rei invidiam & à Principe, Collegioque Cathedrali abalienationem, & in *Jesuitas* odium cumulaverit.

Interim *Mallingerotius* auctâ ex favore vulgi confidentiâ in principe templo non minùs, quam ante frequens erat, *II. Arcetur ab ingressu* licet aliud à se confici nihil, quam *gressu* publicæ pietatis exercitia disturbari, Cui *Eccle-* malo ut occurreret *Christophorus Bernar-* *sia.* *dus*, operâ Prætorianorum utramque majorem templi januam, occlusis cæteris, obferuari facit, & ab ingressu arceri Decanum. Ille tametsi vim vi repellere licitum, neque id hoc rerum statu difficile sibi

1654.

sibi fore, testabatur; nolle se tamen effundendo infontum sanguini aut sacrorum violationi præbere causam, sed citra juris sui læsionem ab ingressu tantisper sese temperaturum, donec Judicis superioris auctoritate medela adferatur. Et spe Colonien- sium processuum jam erectus, subinde transiens, bono satellites animo esse jubet, hac à se molestiâ propediem liberandos.

*Diversa  
scripta  
hincinde  
affigit.*

Interim ut suam populo, quem ubiq; Judicem ambiebat, & innocentis læsionem, & causæ justitiam comprobaret- contra Anathematis diploma, & ipse diversa valvis Ecclesiarum scripta affixit; quibus primùm, citatis sine locorum indice immensum authoribus, rem suam stabilire nitebatur; tum enumerando irrogatas sibi injurias; *immerentem, exutum Satrapia Horstmariensis administratione; ex arce Schonebeckanâ deturbatum; e Turnariorum numero expunctum; proventu Decanatûs, ipso scil. alimento, iniquè spoliatum se dolebat; tentatam semper postulatis & dignitate & famâ suâ indignis concordiam; accessum ad Principem per se, per alios sollicitatum inu- sitatâ severitate bis pernegatum, ideòq; viam omnem componendæ liti obstructam esse.*

*Fusu  
Princi-*

Princeps scripta hæc tanquam incen- tiva ac turbarum pabula, à nullam haben- te

te jurisdictionem affixa, lacerari confestim imperavit. Ut autem isti imposteriorum notæ antevertat *Mallingerotius*, aliud usurpat medium. Binas ex ligno confieri tabulas curat, incussis supernè duobus uncis, ex quibus commodè suspendi possent; iisq; agglutinat, quæ legi volebat scripta. Has propylæis Ecclesiarum per famulos affigi præfens ipse mandat, relicto dein eorum altero excubitore, qui custodiat, & si forsitan accedant publico missi nomine tabulas surrepturi, avulsas illicò tollat, fugiatq;. Id consilium, quia ex animi sententiâ pluries successit, aliquamdiu continuatum est.

1654  
pis lace-  
rantur  
& avel-  
luntur.

At verò Princeps quo minùs incauta *Prohibe-*  
plebs censuris illicitæ societatis involvere-  
tur, sub gravi poenâ edixit, ne quæ eo in *bentur*  
genere à Decano scripta, affixaque impo-  
sterum legerentur. Sed eâ prohibitionem, *legi.*  
uti plerumque contingit, & cupido lecto-  
ribus, & justitiæ specimen Decani causæ  
accrevit: proindeque tanta certatim lecti-  
tantium multitudo advolavit, ut complu-  
res accurrentium turbâ præpediti, legendi  
aviditatem fatiare haud possent, & alij ar-  
gumenta litterarum rogati, perceptis malè  
periodis falsi, fallentisque, rudes animas  
facile circumvenirent.

Indies igitur gliscente ex *Malling-* *12.*  
*erotij* contumaciâ, populi factione, in-  
ceps res *Prin-*  
evita-

1654.  
solvit  
Mallingcro-  
tium cu-  
stodiâ  
attinere.

Scribit  
hoc ad  
Senatû.

evitabiles prospiciens turbas *Christophorus Bernardus*, statuit hominem, media quæque mitiora respicientem, honestâ extra urbem custodiâ attinere. Eâ super re scribit ad Senatum, ac mandat, ut deducendo per Urbem *Mallingcrotio*, ne quid turbarum conciret populus, apparitores & famulitium Urbanum ad portas usque præsto adsint. Utque unâ, Consiliariis injungit (erant ij *Brabeckius*, *Fürstenbergius*, *Merveltius*, *Wiedenbruckius*) in istam *Mallingcrotij* detentionem studiosè intendant, nec minore curâ, è suspicacibus Monasteriensium animis quamcûnque removeant emergentem alicujus fortè præjudicij anxietatem.

13.  
Respon-  
sum Se-  
natûs.

Senatus re cum Tribubus, ac Plebe collatâ *Vierdenhalvium* Oratorem cum sex aliis ad Consiliarios Principis, avidos responsi destinavit, & ij quidem pridie Idus Septembris sequentia retulere. *Actiones Mallingcrotij Civitatem non tangerent, nèque iis miscere se intendisse unquam; Senatum quòque nullam sibi in Clericum vindicare potestatem; palam tamen esse, Mallingcrotium non tantum de universâ patientiâ præclare hæctenus meritum, sed & Monasterium Urbem superioribus bellis singulari semper benevolentia profecutum; magnam fuisse partem Religionis & publice*



blica rei conservata; esse tot annorum Prælatum, nobilissimo stemmate oriundum, ut profectò viri atas, dignitas Ordinis, familiaris nobilitas longè aliam mereantur sortem, quam ignominiosam huiusmodi detentionem; nec unquam Civitati decorum fore, si virum talem sic ipsa traderet Principis potestati. Orare igitur, ut dictorum habeatur ratio, & interim tam molestà comprehensione supersedeatur. Preces has Civitatis primas esse, ex quo Princeps gubernaculum teneat, eoque firmitus confidere vel tantò facilius exauditum iri. Caterùm missas his diebus super abducendo Malhingrotio ad Senatū *Querela* litteras, ita compositas esse, ut salvà jurandi religione, citra lesionem competentis sibi juris conducendi, earum mandamento minus liceat deferre. Ex-  
 re. tare Episcopi Erici & aliorum Prædecessorum autographa, qui in re consimili nunquam Senatui mandârunt, sed proprium fuisse semper rogare aut requirere. Ad privilegia Civitatis conservanda iuramento se obligari, nec dubium esse, quin Princeps benignè recorderetur, auspiciatò nuper inauguratum, accepto homagio, Civitati vicissim iura sua conservaturum solenniter addixisse.

Præ-

1654. Præterea manifestum esse vulgi favorem, justam Mallingcrotium causam fovere sustinentis, ex eoque non omnino vanum censei seditionis metum, cui postea cohibenda haud par foret Magistratus potestas, ut vel timor ille non modicam quasita abductioni creet difficultatem. Porro existimare senatum, Populumq; Monasteriensem comprehendendi extra mœnia Decani occasiones Principi nunquam defuisse, nec alia coercedi media hodieum deesse, se quoq; si ita videatur opportunè persuasuros, ut exosis illis chartarum affixionibus finem imponat.

14.  
Quid replicent  
Consiliarii  
Principis.

Indè digressis paulisper, Consiliarii singulas à capite causas expendunt, & post exiguæ moræ consultationem denuò vocatis, admissisque ita responderunt. Sibi à Principe aliud in mandatis non esse, quam unam Mallingcrotij detentionem; quippè qui ab ipsâ statim electione assiduus calumniator, nec hodiè post Pontificis confirmationem, Caesaris investituram, & totius Patriæ homagium à contumeliarum asperitate se contineat; imò delicta delictis cumulando; non ita pridem ipsius quæstionem statûs movere presumpserit, homo obduratus. incorrigibilis, rebellis & censurarum Ecclesiasticarum contemptor. Remedia mitiora,

tiora, quæ Episcopi mansuetudo durioribus præmisit, nihil profecisse, ut ad secularia converti nunc postulet patria salus. Et quoniam Principi fixum, statutumq; sit haud aliter, quam istâ Mallingrotij detentione, securitati & quieti publica posse consuli, ideo suadere, preces suas reservet Magistratus majori quandôq; Civitatis emolumento. Si quæ sint Mallingrotij in Patriam, inque urbem merita, non tam illi, quam toti Collegio Cathedrali tribuenda esse; aut certè dolere cum Patriâ Principem, ista non modo non continuata, sed alius super alia flagitiis nimium fœdè interrupta. Et verò habitâ dudum stirpis Mallingrotiorum ratione plurimum hætenus Principem connixisse, longanimem respicientis expectatione, tardius duriora amplexum; nec etiamnum aliud meditari, quam custodiam honestam & errantis dignitati parem. Principis litteras, quibus sub præcepti formâ jussos se querantur, allegatam eam anxietatem non mereri. Cum enim nullam in Clericum jurisdictionem Senatui competere ipsi ultrò fateantur, ac solius Principis sit tumultibus antevertere, & publicam in Rep. quietem curare, quis arguat jure, utrumque & subditis imperantem? Usitatum esse in  
 L aulis

aulis Principum Germania, dum ad sub-  
jectos scribunt, non uti alio quam man-  
dandi verbo. Nec enim addecere, sub-  
ditos in causis equioribus à Principe  
rogari. Si qui forsan olim ita fecerint,  
alia tunc fuisse tempora, alios mores,  
nunc uti inscriptiones nominum, ita sty-  
lum ac scribendi normam à seculo plu-  
rimùm variatam; nec aliud rogando  
significatum olim, quam nunc mandan-  
do; cum Principum preces, imperia,  
& rogare idem quod mandare censea-  
tur. Et verò non videri opera pre-  
tium, in re gravissimâ de verbis, qua  
formare Secretariorum sit, diu alter-  
cari, frustrariq; idcirco equa Principis  
postulata, quem constaret in privilegiis  
Civium conservandis fidem suam obli-  
gâsse non minus, quam Senatores, adeoq;  
ne quid adversus illa imperatum sit,  
eidem cura fuisse, & verò etiam post-  
hac futurum. Sed & probe recordari  
Principem, in iisdem inauguralibus il-  
lesam Principis jurisdictionem, ipsamq;  
Urbem immotâ ergà ipsum fide se con-  
servaturos, Sacramento Senatores ob-  
ligâsse. Nunc tempus esse memoriam  
ejus innovandi; prospicerent tranquilli-  
tati publicâ, turbis, quas metuant ipsi,  
maturè prudentiâ suâ pravenirent; edi-  
ctis, pœnisque plebem coërcerent, ju-  
berentq; serio, domi se continere iura-  
tos

tos Cives; cohortes peditum binæ, quæ  
 communis ararii Patriæ stipendiis alan-  
 tur, ad compescendam vulgi insolentiam  
 armata vigilarent; & si quidem  
 iis necdum satis fidant, Principem plu-  
 res promptè additurum, nihil ut desit  
 qualicūq; tempestatì componenda. Quod  
 verò Princeps attinendo extra Urbem  
 Mallingrotio securitati publicæ citius  
 non prospexerit, id eius longanimitati  
 adscribendum, qui expectatâ quotidie  
 Decani resipiscentiâ salubri (uti puta-  
 bat) moderatione usus, leniora asperio-  
 ribus premiserit; quem omnem nunc me-  
 dicinam aspernari videns, ex desperatâ  
 sanitate viri, suis quôq; morbis salu-  
 tem Reip. involventis, remedium invi-  
 tus ultimum quarere & adhibere com-  
 pellatur. Alia ad obsequium reducendi  
 Mallingrotii media, si Monasterien-  
 sibus occurrant, avidè se excepturos;  
 Principi verò, cum expeditis frustra cen-  
 suris lenius hodiè nullum superfit, quam  
 honestâ Decanum custodiâ attinere, id-  
 circo urgere se iterum, ut Principis  
 menti Senatores quantocyus suffragentur.  
 Ad verborum hæc postrema Monasterien-  
 ses muti, paulisper è conclavi secessere,  
 pauloque post revocati defectu, ut age-  
 bant, mandatorum petiere dies pauculos  
 moram. Reponunt Consiliarij gravem

1654.

eam Principi fore, custodiam *Mallingerotij* ad accelerandam patriæ quietem maturanti. Indè subjicientibus, motu duntaxat proprio (nec enim in mandatis id datum erat) quid videretur, si *Mallingerotium* in ipsa Cathedrali immunitate ac domi suæ contingeret honestè custodiri, respondit Syndicus nihil; sed cum morâ, ut ante dimitti petiit, acta Senatui relaturus.

15.  
*Mal-*  
*ligerot-*  
*tius ab-*  
*solvitur*  
*ab ex-*  
*commu-*  
*nica-*  
*ti-*  
*o-*  
*ne.*

Provocaverat jam ante *Mallingerotius* ad Nuncium Pontificis Coloniam Agrippinam. Ubi questus Episcopum potestatis expertem, nullâ suffultum justitiâ, sed fortius ductu rancoris, in se sacræ proscriptionis fulmen, licet irritum vibrâsse, libello supplice remedium flagitavit. Nuncium tunc agebat *Josephus Sanfelicius* Archiepiscopus *Consentinus*. Is improvidâ facilitate causam actutum committit Joanni Philippo *Mockelio* S. Cuniberti Canonico. Quod autem idem ipse, in alterâ cum *Mallingerotio* controversiâ, Commissarius jam olim *Christophorum Bernardum* iniquè gravâsse, essentque dudum ejusdem manus per Apostolicos processus ligatæ, expectabant ab ejus æquitate sagaciores, hanc se commissionem, uti pridem ante suspectum, recusatumque prudenter declinaturum. Sed tantum abfuit, ut præcipiti coram amplexu suspicionem auxerit, & neglecto juris ordine, nullâ scilicet præmissâ denun-

denunciatione, omisso gravaminum examine, sine omni cautela, cum manifesto clavium despectu, Judex promptissimus, illicò *Mallingcrotium* pronuntiavit anathematis vinculo exsolutum.

Quæ Monasterium ocyus perlata absolutio, eadem autoritate jubetur in templis palam è suggestibus recitari; quod *Ecclesiam* tametsi Principis interdictum præcaverit; *affigitur* valvis tamen Ecclesiarum affixa, hoc avidius excepta est, quò plausibilius videbatur argumentum. Sanè fuit illa litis quidem præambulum, sed multorum apud imperitam plebem motuum auctrix. Hæc enim & latinitatis & juris sacri rudis, tantò facilius in errorem trahebatur, quanto Decani causam inter legendum perversius attollebant sinistri interpretes.

Ut autem *Mallingcrotius* & severitatem Principis, proclamationem inhibentis, & commiserationem sui apud populum *Non sine* auget, ipse obibat templa & affixiones *populi* præfens curabat. Quod dum in Cathedrali *motu.* quoque molitur, concurrat plebs frequens, rata ædem denuò subiturum. Loci tunc istius excubitores Prætoriani, objectu corporum, armorumque mox ostium vallant, ab ingressu simul, egressuque arcendis intenti. Hæc inter civis quispiam, dum stationi molestus exitum tentat, ab hastatis repellitur. Id ignominiam, injuriamque

1654.

interpretantur, qui præsentes erant, concives: nec abfuissent ultorum manus, si non plurium honestas ac loci reverentia impetum stitisset. Interim Decano, post agglutinatum parietibus exemplar, domum abeunte, procaciores nonnulli è vapparum grege, Prætorianos cachinnis primum ac sibilis illudere, dein non obscuris verborum contumeliis ac scommatibus lacessere, aufuri & promptas manus inferre, dummodo, uti spargebant, præeuntem haberent, quem sequerentur.

16.

C. Bernardus istius processus iniquitatem probat.

Christophorus Bernardus multâ statim ratione, publico donatâ, perstringit acriter Mockelij temeritudinem, & solidè probat totius processus iniquitatem. Ipsa verò affixa hinc inde absolutionis exempla, uti curiositatis ante pabulum, ita nunc jussu Principis atro penicillo denigrata, spectamentum offerebant transeuntibus sanè perridiculum; quasi jam tum ominosâ hujusmodi pulligine infelicem exitum prælugerent.

Congressus Circulorum Westphaliae & Saxoniae Infer.

Per eos dies Monasterij consultabant Principum Westphaliae & Saxoniae inferioris Legati, quo demum modo, uti imperaverat Cæsar, obsessæ à Suecis Brema succurreretur. Eoque agrius habebat Christophorum Bernardum & populi factio, & Senatorum mora, quò tenacior erat auctoritatis suæ, & in eâ præsertim Legatorum præsen-



præsentiâ promptius ipse obsequium expectaverat à subditâ Civitate.

Quare cunctationem ultrâ pertæsus, Consiliarius extremum mandat, deposcant extemplo à Senatu, quid super attinendo, abducendoque *Mallingrotio* tandem destinarint, Evocatus igitur Syndicus cum <sup>17.</sup> *Instante* iis, quos ante socios habuerat, datæ nuper *Principe* declarationi inhæsit. Non posse nimirum *dat reso-* Civitatem, quæ jussa, non rogata fuerit, *lutionem* citra fraudem privilegiorum, in abdu- *Senatus.* ctionem *Mallingrotij* consentire. Et iterum docendo, quid in re consimili fecerint Episcopi decessores, præsentia exigebat ad superiorum normam. Dein, omissis etiam iis, exaggerare evidens tumultuum discrimen. *Profecto* apparuisse non ita pridem *Leodij*, & *cumprimis* in urbe *Neapolitanâ*, quid populares turbae possint, ut quæ in arma humilem per piscatorem tracta, suo procul ab exitio non abfuerit. Sibi evenire posse, quod cuiquam posset, in tanto præsertem opificum & exterorum consfluxu, quos nullâ iurijurandi religione Senatui constaret esse obstrictos. Nec dubium fore, quin inter eam *Mallingrotij* abductionem, si forte *Prætoriani* compescerent insolentes, (iurati licet cives se domi continerent) manifesta seditio nasceretur. Adhæc ipsius *Patriæ*

1654.

privilegio obligari Civitatem, si quempiam ex Ordinibus inter & Principem controversia emergat, conjunctionem rursus animorum, interventu suo conciliare. In ea laborasse se hactenus, nec rebus hucusque compositis Civitati tanquam arbitra licitum, abductioni compartis adstipulari. Sic inter Magistratum, Tribunos plebis, Tribuum praefectos, totamque Communitatem convenisse.

18. Consiliarij Principis, tametsi effugiis hisce jam ante obviam satis, & abunde satisfactum edicerent, nihilominus crambem recoquunt, & singula ordine refutant. At dum exaggeratum seditiois metum tangunt, non sine animi commotione Principem, ajunt, excusationem liariorū. adeo frivolum cum stomacho rejecturum. Si enim Senatores esse, si clavum Reip. tenere velint, illud utiq; auctoritatis, artisque & potentia insit oporteat, ut quietem, bene constituta Civitati apprimè necessariam conservare, factionibus turbulentorum obviare, pessimosque frangere conatus possint; quo Cives, quo superiores, quo singuli tranquillitate publicâ fruantur; nec quisquam in exercendo jure suo turbetur. Hoc sine Principem ingesta nuper media commendare iterum, suâq; promptè sub-

subsidia, si necessaria iudicent, vicissim offerre. Quod Leodiensium ac Neapolitanam rebellionem attineret, sperare Principem, ejus Monasterienses erga se fidei & devotionis esse ac futuros in posterum, ut rebellionis audaciam suspicari nolit; secus (quod superi avertant) non sibi minus, quam istorum locorum dominantibus defuturam compescendi, puniendique potestatem. Nec eam defuisse predecessoribus suis, quando Anabaptistarum insaniam suppressere, monumenta domestica, suspensos ad D. Lamberti corbes, luculenter testari. Nunc Magistratus huius esse, prudente vigilantia istiusmodi malis prevenire, qui sequiorem in eventum exactam villicationis suae rationem Principi reddere obtigetur. Nec eam exterorum opificum & otiosa plebis multitudinem Monasterio inesse, qua duarum cohortium presidio, ipsorumque civium, & si necessitas urgeat, oblato Principis auxilio non possit facile coerceri. Adeoque inanem esse seditionis metum, dummodo Senatus muneri suo haud desit. Obligationi concilianda inter Principem ac Decanum concordia, quam à Patria privilegio injunctam sibi meminissent, totius triennij spatio & ultra ab ipso electionis die abundè satisfactum.

1654.

162 CHRISTOPH. BERNARD.

isfactum. Exin Mallingerotium suffen-  
sum, irrogularem, excommunicatum,  
magis quotidie, magisque pervicacem,  
incorrigibilem, rebellionis reum & no-  
vissima exempla meritum, si honesta  
tantum custodia attineatur, clementia  
Principis & solius benignitatis esse; nec  
minus ita exigere publicam patria sa-  
lutem, ac ipsius Magistratus obliga-  
tionem; cui sacrosancti iurijurandi  
Religio majus haud dubie inaugurato  
Principi suo obsequium, quam ejusdem  
rebelli favorem deferendi imposuerit  
necessitatem. Trent itaq; & absq; lon-  
giore mora, quid postremum statuerint,  
tandem declararent. Paulisper egressi,  
reversique prioribus inhæserunt, & mo-  
dicum adhuc spatium ad consultandum  
petiere.

19. Quo dato post triduum reduces hanc  
*Finalis* Senatorum declarationem detulerunt scrip-  
*Senato-* to comprehensam. Ad postulata Prin-  
*rum re-* cipis super abducendo Mallingerotio  
*solutio.* Cathedralis Ecclesie Decano, per  
Celsitudinis sue Consiliarios Magistra-  
tus Urbici Deputatis proposita, audita  
relatione, præmissaque solemnī delibe-  
ratione, declarat idem Magistratus  
una cum Tribunis plebis, Magistris  
Tribuum, totaque Communitate suis se  
civibus & universis Civitatis incolis  
man-

mandaturos, ne controversia Principem suum inter & Decanum pendenti, sese ullatenus immisceant, nec quis in partem alterutrius descendat; confidere è contra, nullam quòque commotionis alicujus ansam datum iri. At verò super abductione Mallingerotij, quod Senatus more Decessorum Principum debite requisitus non sit, ipsaque res periculi plena appareat, statui nihil aut declarari potuisse. Nec sperare Magistratum istius Principem animi esse, ut pervetusta Civitatis jura, ac privilegia turbari, lediq; velit. Sin autem Celsitudini sue videatur, juxta quod à Consiliariis motu proprio nuper suggestum est, ipsam Mallingerotij Decanalem domum, in immunitate sitam, custodia loco designare, Civitatem absq; tamen privilegiorum & jurium suorum damno, nullatenus adversaturam: dummodo Consiliarij judicent absolutionem ab Apostolico Nuncio favore Mallingerotij novissime decretam, & hoc ipso die cum mandato inhibitionis Senatui intimatam, cœptis hujusmodi non obstare. Ad singula expectari responsum. Signatum in congregatione Senatûs. Sabbato 19. Septembris Anno 1654.

Super hæc oretenus addidère, Magistratum agrè admodum tulisse  
 Cum ali-  
 ogge- quâ que-  
 sta rela.

1654.

164 CHRISTOPH. BERNARDUS

ita in proximo congressu, tam odiosa *Leodienſum & Neapolitanorum* rebellium exempla, eorumque ſupplicia *Monasterienſibus*, uti apparebat, non obſcurè applicata, quorum tamen cauſas (quæ ſola Dei gratia eſſet) remotiſſimas à ſe conſtaret. Inde ſuorum meritorum & continuæ erga Principes devotionis longam panegyrim exorſi, ſub *Ferdinando* Electore *Coloniënſi* felicis recordationis *Epifcopo Monasterienſi*, ita ſe ſemper citra jaçtantiam geſſiſſe, ut *Serenitas* ſua omnimodam ſatiſfactionem frequenter celebrârit. Nec ſperare ſe nunc, ex quo *Ceſſitudo* ſua *Epifcopatui* præeſſe cæpit, ab officio devotionis uſque ad eò degenerâſſe, ut hanc *Neapolis* vel *Leodij* rebellantium applicationem mereantur. Reſponſum ad hæc breviter. *Principi de Monasterienſum*, ac præcipuè *Magiſtratûs*, *honorumque civium jurejurando ſibi obligatorum integritate*, longè *aliã mentem eſſe ac fiduciam*; nec iſtorum unquam exemplorum mentionem facturos ſe fuiſſe, ſi non eorum ipſi priùs meminifſent. Ita ſeptimanarum aliquot diſceptatio terminata fuit. *Conſiliarij* verò decretoriam *Magiſtratûs* declarationem, unà cum actis, ſublîmi Principis judicio ſubmiſère.

20.

Concur-  
rentiaInter hæc notatum à curioſis, & re-  
rum

1654.

Bernardum in  
his negotiis.

rum inania considerantibus, pleròsque horum congressuum actores, rarà concurrentià cognomines fuisse *Bernardos*. Ipsum Principem, qui *Mallingerotium* attineri deposcebat, *Christophorum Bernardum*; eundem, qui deposcebatur, *Mallingerotium Bernardum*; Civitatis Syndicum ac Secretarium, *Vierdenbaldium & Hollandium*, utrumque etiam *Bernardum*. Ac Principis Consiliarium & Oratorem *Bernardum Wiedenbruckium*; Quem ex ore Concilij perorantem & rebellionis maculam civibus impigisse malevoli vulgabant, & corbes Anabaptisticos è D. Lamberti turre suspensos Senatoribus contemptim præmonstrasse, eo veluti supplicio dignis. Quæ res quoniam cum Magistratûs, urbisque despectu conjuncta erat (quanquam falsa, confictaque) facilè compluribus credita est, ab iisque in reliquum vulgus cum maximo *Wiedenbruckij* odio propagata.

At vero *Mallingerotius* gnarus eorum, quæ à Senatu permilla erant, domi suæ haud ultrà securus, apud civem *Staalium* (qui proximè Curiam in foro habitabat) exindè noctu diversabatur. Et quamvis desperatâ Principis gratiâ vix videret locum retrahendi aleam quam iecerat; excitabant tamen subindè nutantem animum populi studia, nonnunquam hortatus familiarium,

21.  
*Mallingerotius*  
jubetur  
restitui.

&amp;

1654.

& nunc etiam spem erigebant alteræ *Mockelij* litteræ; quibus ob Principis contumaciam *Mallingcrotium* jam absolutum pristino restitui jubebat, imploratâ etiam Urbis Monasteriensis forti manu, seu, uti vocant, *brachio seculari*. Sanè ubi sub titulo, nomine & sigillo Apostolici Nuncij valvis eæ Ecclesiarum ferè omnium affixæ sunt, mirum dictu, quanto argumentum hoc tripudio plebs exceperit, & *Mallingcrotius* accedente populi favore, plausuq; lætior ipse exultarit. Et quanquam in confertâ, quæ se ad spectaculum effuderat multitudine (erat enim dies Angelorum Principi sacer) *Christophorus Bernardus* ab hujusmodi *Mockeliano* gravamine, per *Tabellionem* ad Pontificis Tribunal, palam provocaret; nihilò tamen æquior populus, effectum clamabat *Coloniensis* judicati; Romamque appellari criminabatur ad producendum duntaxat ob provocantium potentiam infinite judicium, aut profectò non ante alterutrius mortem terminandum.

22.  
*Populi sermones ac studia.*

Suspensa exortis istiusmodi quotidie novis Civitas erat ac sermonum plena; plerisque invalescente factioso Decani, vulgiq; animo lætis; multis ad ea tantum spectacula intentis ac præsentis theatro gestientibus sine cura reliquorum; paucis quæ inde secutura erant mala, reputantibus.



bus. Nec alia crebrior quam de Principe & Mallingcroto sermonis materia, in cætibus, in triviis, in fabulantium circulis (ij passim in area Cathedrali, in foro, compitisque visabantur) plerumq; seditionum officinis; nemo non Judex videri cupiebat, haud secus ac si constituti partium arbitri indeclinabile judicium ferre possent. Vendebat hic, quæ in concionibus dicta, auditaque erant; iste quæ à collegâ, vel concive hauserat; alter quæ propria suggererat ratio. Et ingenio plerumque rudes erant, qui loquaciores, aut certè vix ultra popinalem doctrinam sapiebant. Peritiores Principis importunitatem exaggerare, perstringere Capitulares, *Mallingcrotoij* causam attollere, iis studiosè silentio prætermittis, quæ partium rebus officere videbantur. Alij non tam ut auditores fallerent, quam falsi ipsi, deceptique eorum specie causarum, quæ obtentui habebantur, Religiosorum auctoritatem, decreta Nuncij, sermones peritorum allegare. Si qui stabant à Principe, tam erant invisi consortiis, quam partibus impliciti, ignari causæ, aut narrare falsa dicebantur. Si verò argumenta in medium proferebant, quibus Episcopi causa commendabatur, incredibile dictu, quo non indignantium stomacho ac penè convitiis ea rejecta sint; adeò multi concepti jam semel judicij

1654.

judicij tenaces pro Decano, tanquam pro aris & focus decertabant. Et sanè perpauci erant, qui Principis partes tuebantur, aut certè ne plebis exciderent gratiã, palam id facere timidi, servire licentiã præhabebant. Erat enim opificum in officinis, heilvonum in tabernis vox propè una, *vivat Decanus, cui vitam, salutem, triumphum, fausta omnia.* Quin etiam parvulorum in angulis, vicisque platearum turmatim sese colligentium, certantiumque pars Decano, pars Principi devota, securis adhuc tempestatibus præludebat.

*Multis  
ad hæc  
ationi-  
tis.*

Nec detuere, qui acria illa populi studia, execrationemque Principis, Capitularium, ac Jesuitici nominis animadvertentes prælagirent brevi Monasterium omne, contra quam plerique existimarent, tumultibus involvendum. Eadem quippe, agebant periti fastorum, nunc esse, quæ seculo antè Anabaptisticae seditionis initia.

*Omina.*

Crevitque de ea prælagitione inde quoque sermo, quod hoc ipso anno, die S. Vito sacrã, sub quintam matutinam ternæ turres (Sanctorum Michaëlis, Martini & Lamberti) ab improvise tonitru, terribilem inter fragorem, uno fulmine pariter tactæ, ulteriorum motuum prænunciæ crederentur. Et erat in recenti omnium memoria exitiosa ante biennium pulveræ

1654.

pulverez turris evibratio ; assertumque plurimorum narrationibus *Magdeburgi*, hujusmodi portentis ac signis præmoniti excidium. Et prandebat postero die, cum fulmen pridie turres icerat, apud Principem *Bremensium* Alegatus, qui biennio antè paria *Bremis* contigisse narrabat, & exindè varias Urbem calamitates perpeffam, ac proscriptionem Imperij, & secutam tunc *Köningsmarckio* Duce obsidionem.

Verùm dicta terrere, non lædere *Carmi-* plebs gnara, parùm iis movebatur, at- *na famo-* tenta famosis aliquorum carminibus, quæ *sa.* tum passim in Principem ac Jesuitas, quasi velitationes quædam secuturi quandoque prælij jactabantur. Nonnulli etiam, ex pauperum fortè scholarium sentinâ, quorum animos crebrâ sibi stipe *Mallingcro-* vius emerat, suppressæ justitiæ, & injuriam patientis annum, litteris numerorum loco positis, ad parietes passim exprimebant. Non pauci denuò Magistratûs in- *Magi-* dulgentiam accusabant, monebantque, ut *stratûs* in hujusmodi balatrones tempestivè sta- *conni-* tuerentur supplicia, ne cunctando mor- *ventia.* bum insanabilem efficerent. Sedendo tamen ac connivendo malis indormire visi, eoque multorum judicio turbas aluisse dicti sunt.

Quò gravior interim *Christophorum* Princeps <sup>23.</sup>  
M Ber- acquies-

1654.  
cit Sena-  
torum  
resolu-  
tioni.

*Bernardum* occupabat sollicitudo publi-  
cæ quietis, hoc vehementius dolebat  
paucorum eam factionibus interturbari.  
Et quanquam super abducendo *Malling-  
crotio*, non debere ipsum suadebant  
aliqui Magistratûs sententiam expectare,  
quod in homines sacris initiatos, Episco-  
po soli, jus omne reservatum esset; nec  
obscurè præviderent, Monasterienses pro  
eâ, quâ tunc vivebant, libertate, facile  
semper dissensuros. Præplacuit tamen de-  
clarationi Senatûs acquiescere, & domi  
propriæ honestâ ad tempus custodiâ De-  
canum attinere.

Explo-  
rat men-  
tem Nun-  
cij.

Ne verò novis Colonia turbamentis  
conatum impediret, è re visum est, pro-  
positi summam, causasque prius detegere  
Nuncio Apostolico, & Ejus ante men-  
tem explorare. Misso igitur *Coloniam*  
*Agrippinam* *Henrico Biscbopingio*, qui à  
consiliis erat, eoque necessitatem continendi  
*Mallingcrotium* coram explicante ultro  
exclamavit Santelicius, cur ob causas, tam  
varias, justas, graves Episcopus tardaret;  
festinato opus esse, nihil profectò remo-  
ræ, nihil impedimenti se objecturum.

24.  
Mandat  
attineri  
Mal-  
lingera-  
tium.

Conspirantis itaque Nuncij securior jam  
*Christophorus Bernardus* extemplò jubet  
Consiliariis, tunc adhuc Monasterij præ-  
sentibus, ut decretam *Mallingcrotij* de-  
tentionem accelerent, simulque denun-  
ciant

1654.

Id exe-  
quuntur  
Prato-  
riani.

cient Consulibus, quam ipsi nuper comprobârint in ædibus custodiam, & hanc etiam, sibi placuisse. Illuxerat jam septima Octobri dies, quâ Prætoriani, voluntatem Principis executuri, *Vingero Duce*, sub meridiem in Decani domum clam se inferunt, ab eoque cum amicis epulante, petunt importuni accessûs veniam, & unâ significant, inopinatâ denunciatione, in eorum sese custodiam, Principe sic imperante committat. *Mallingrotius* improvise militis aggressu, nonnihil initio percussus, paulò post mandati tenorem exigit. Quo viso, lectoque negat isthic agnosci Principis imperium, quod solius sit Decani. Indè factus armatis propior, nisi cedant, necesse & exitia minatur. Sed dum paulatim mitior, vinum inficetas inter facetias largiùs propinat, accedit convivarum alter, monèturque custodes, si quidem vita cordi sit, ocyus facessant indè, ac tuta petant, fore alioqui, ut integer evadat nemo. Et licet turbationem jam tum exitum certò prætimerent, nihilò tamen segniùs simul arma, simulq; *Mallingrotium* ac singulorum oculos observabant.

Inter hæc ex ejus famulatio stabularius, è fenestra dilapsus, per Urbem discurrere ac vociferari; teneri Decanum; periclitari vitâ; à militibus insideri

M a domum

1654.

domum; opem, opem implorare. Ad  
cujus stentoris vocem mox undique con-  
currit, quidquid factiosi, petulci que ho-  
minum generis erat. Pars stare in foro,  
captum uti putabant jam jam abducen-  
dum excepturi, pars ante domum cater-  
vatim conglobari, donec affluens multi-  
tudo tentatis foribus connititur per vim  
aditum aperire, & ereptum militari cu-  
stodiæ *Mallingerotium* reddere libertati.

*Cura Se-  
natûs.*

Quæ dum in areâ Cathedralis Eccle-  
siæ geruntur, accedit ad Senatum *Quan-  
tius* Concilij Secretarius, ut jussa Prin-  
cipis exponat, moneâtq; curam, ne quas  
in Urbe turbas conciat populus. Sed in-  
opportune nunc ista significari causantur  
Senatores, commotâ jam civitate propo-  
universâ: nolle se tamen muneri suo  
deesse. Dum verò remedia in Senatu qua-  
runtur, foris per eadem incrementa vi-  
gebat morbus. Jubent interim sine tyrra-  
pano armatas illicò coire duas civium co-  
hortes, quæ in foro excubent, tumul-

*Lustra-  
tum mit-  
tit Syn-  
dicum  
& Se-  
creta-  
rium.*

tum omnem præcauturæ: simulque *Vier-  
denhalvium* Oratorem cum *Hollandi*  
Urbis Secretario lustratum amandant, qui  
apud *Mallingerotium* rei agatur. Abetur-  
tes hi, dum ædibus Decani viciniorum  
conspiciunt violentis anticam aggressio-  
nibus oppugnari, & nutantem ipsum jam  
verticem irruentium exitio imminere (nam

parum aberat, quin incautos aggressores casus tumulasset) missos se praefati, ut malo consulant, tumultuationem tantisper compescunt. Ostio subinde reserato domum ingressi custodiam primum demirantur, paulo post inter haustus largiores (hospite tam gratis hospitibus vinum liberalius praebente) custodes interrogat *Vierdenhalvius*, cujus haec jussu fiant; respondent Principis, unaque poscenti visendam proferunt commissam sibi potestatem. Quam perlectam ferunt *Vierdenhalvium* de *Christophoro Bernardo* contumeliosè locutum, & redditam tunc papyro inter minas etiam ac convitia militem reliquisse.

Nihilò sub haec turbulenti quietiores, dum eximendi periculo captivi, ut ante pertinaces, aggressionem novam moliuntur, ex insperato *Mallingerotius*, ignotam viam erumpit. In eum igitur ceu Numen quoddam converti omnes, gestientes accurrere, excessum gratulari, osculari manus, humeros certatim brachiis demulcere, applaudere libertati. Tum in laudes effusi, per aream Cathedralis, per D. Michaelis portam, per forum, ceu triumphantem ad aedes *Staalij* civis deducunt. Verum inde confestim viam

25.  
*Mal-  
lingero-  
tius e-  
rumpit.*

*Conatur  
Plebs in  
Prato-  
rianos  
irruere.*

M 3

vituri.

1654.

vituri. Hi ut intentas in se tumultuan-  
tium manus declinarent, relictâ jam do-  
mo Decanali in alteram à vice Jesuitarum  
(quam *Schellius* S. Mauritij Præpositus  
tunc possidebat) ceu tutius asylum con-  
fugerant, mutuôque hortatu firmaverant  
se adversus vim omnem. Dum advo-  
lantis interim plebis impetum sistunt oc-  
clusi ædium aditus, de fenestrâ *Vingerus*  
cordatè monet, nihil quidem sibi cum  
cive negotij esse, si quis tamen præter  
spem vim ausit, ita armatos, animatosq;  
singulos, ut nec inultè, nec sine sangui-  
ne de loco turbari posse seriùs agnitu-  
rus sit aggressor. Hunc ergò conatum  
frustrati, quâ venerant celeritate, pedem  
vertunt in proximas ædes, quas *Brabe-  
kij* major Thesaurarius habitabat; quod  
magnum ille proscriptionis *Mallingerotij*  
instrumentum fuisse, perque porticum  
horti in domum hodie Decanalem pene-  
trâsse miles crederetur. Ubi parte tene-  
strarum nunc excussâ, vim fores patie-  
bantur jam jam perrumpendæ, si non in-  
terpellans famula insontes se, & reos fortè  
Jesuitas edixisset.

*Ædes  
Brabe-  
kij mole-  
stant.*

*Inva-  
dunt  
Coll. iù  
Societa-  
tis.*

Hac voce, tanquam classico exerti  
prostripiunt indè se, atque unanimes ad  
*Jesuitarum* in vicinia *Collegium* inva-  
dendum, diripiendumq; furentes ac lym-  
phati conclamant. Præcursores illicò  
fores



fores certatim pulsant, nec adventum Janitoris præstolantur, sed impacto mox ariete (fœnum quippe vicino Colonus advexerat, ut in promptu esset hoc ligni genus, quo fœni congeries pressa, ne minutim excidat, cavetur) portam assulatim frangunt, viâque sic apertâ Janitorem Societatis Religiosum, qui sub id festinus accurrebat, usq; eò contundunt, ut nisi furentium manibus virum subduxisset fuga, perempturi viderentur. Tum in petulantias effusa turba, discurrere, vociferari, bombardas explodere, fenestras plumbeis hi globis, illi machæris, alij prælongis hastis, nonnulli lapidibus excutere. Quin etiam leviculæ, vulgare ganeonum additamentum, turbis immistæ diripere hortum, prædamq; ceu fracto ex hoste manubias per compita jactanter domum asportare, impellere cœquales, adeundos Jesuitas, isthic proflare plura ejusmodi bravia. Inter cæteros æthiopem mentitus, infuscatus gero, rhomphæâ armatus, ictu minùs fallente *Pro virgâ* (ita enim vociferabatur) maximum vitris damnum inferebat. Patrum nonnullos negotia & feriæ autumnales absentârant domo; præsentem, tanquam impares prædatorum multitudini, omisâ Collegij curâ partim fugâ, partim latebrâ sibi interim prospicere; nec enim

1654.

ulli in eâ trepidatione præsentior animus. Id autem inter has perbacchantium ineptias perridiculum erat, fenestras vitreas angî portum versûs, qui ad Gymnasium ducit, insano lapidum imbre manu cujusdam ganeonis diu quati; cum verò continuatis tot jactibus, utpote præferratas excutere frustraretur, ferramenta præ concitato furore non advertens, præstigias suspicatus (impius ex jactatore jocular) & jam, inquit, experior, quænam avernalis Hecate Jesuitarum mentes regat.

26.

*Recedunt pel-  
lente  
Dickho-  
vio.*

Ita grassabatur in Collegio tumultuantium colluvies, donec à Dickhovia inferioris Dicasterij Graphæo, fortuito luperveniente, pelleretur, urbaniq; præsidij manipulum procurantibus vicinis, fortunarum prædationem veritis submitterent Senatores. At pulsi jam effractarij, discurrentesq; per urbem, alia prioribus facinora superaddunt. Viros ex eadem Societate in plateis obvios, furiosius persequuntur, coguntq; in vicinis uspian ædibus & latibula quærere, & scandere tabulata; sed nec sic ab insequentibus tuti, per tecta, domosque diversas servare se, usque adeò, ut eos inter saltus, alter in subjectos filices ex alto corruens, lumbifragio multaretur.

*Attoni-  
rà Urbe.*

Horas aliquot ea plebeculæ seditio tenuit,

tenuit, attonito probo quolibet, partim homines illos, funestas inferorum larvas opinante, partim rato, manes, umbrásq; Anabaptisticas, assumptis corporum integumentis vivas rediisse. Nec deerant, quibus horum, veterúmque temporum ratio, utraque tacitè comparantibus haud planè ablimilis visa est; quando duobus abindè seculis eodem quinquagesimo quarto anno, inter duos Electos, *Waltra-*

*Et mo-*  
*destiori-*  
*bus tem-*  
*pore cõ-*  
*paranti-*  
*bus.*

1454.

*mum Mõersium & Ericum Hoianum* Comitès, ob Principatús ambitionem, ferale dissidium trahebatur, occupatis instructo utrimque exercitu arcibus, oppidisq; dicecesanis. Cúmque *Mõersius* suffragiis plurimorum legitimè electus & autoritate Pontificiâ confirmatus Antistes, universam ferè patriam haberet sibi devotam, paratámque armis Principem tueri; *Hoianus* re desperatâ, cum *Joanne* fratre germano, homine feroci ac turbulento, inter Monasteriensis populi Tribus adscribi se facit, unâque contra adversantium injurias Urbis implorat ultricem manum. Cives eâ capti popularitate, nec alium passuri Dominantem, offerre semetipsos, promptique cum *Hoiano* contra *Mõersium* in aciem descendere, sed in *Varlariensi* Ericeto haud procul *Coesfeldiâ*, magnâ suorum clade profligari. Nunc verò *Mallingrotium* ambire mytram; ele-

M 5

ctionem,

1654.

tionem, electumque oppugnare; desperatione successus recurrere ad populi studia; plebem vocare injuriarum vindicem; causae arbitros; eamque tum animis, tum auxiliis praesto esse, sed ingenti etiam poenam quandoque multandam. Sic secula & personas interiisse quidem, causas tamen & eventa ferme eadem recurrisse.

27.

*Prin-  
ceps eo  
facto ir-  
ritatus.*

Enimvero furiosae seditionis nuncius vehementer afflixit Principis animum. Et quanquam in aula instabant aliqui, haud cunctandum amplius; exui privilegiis oportere turbulentam civitatem, ejusque arce condi arcem, futurum posthac tam contumaci populo frenum; ad id vero adigi posse haud pluribus, quam tribus militum millibus, operamque in id suam iidem strenue offerebant. Hoc tamen rerum statu facile praepotuit mitior aliorum sententia, ut in seditiosos tantum, factionisque authores animadverteretur, caeterum insanæ plebis furor modestis civibus fraudi ne foret. Quod Princeps consilium amplexus, *Coesfeldiam* Magistratum evocavit, comiteu libero, ne quis excusationi locus daretur, perquam benigne oblato. Cumque statutâ horâ sisterent se Senior istius anni Consul & Senatores aliquot, in hæc fere verba praesentes affatur. *Audivisse absentem, ingenti cum dolore, quorundam factionum*

*Citat  
Senat-  
um.*

*Et factum  
expro-  
brat.*

*serum*

forum in Civitate sua turbas, inspectante ipso Senatu, partim inchoatas, partim perfectas. Illatam pratorianis suis, iustitiæ administris injuriam, vim Capitalibus, damnum Societati; Collegium à Majoribus suis conditum, ab sacrilegis impie profanatum, fractas in eo fenestras, nobilium, agnatorumque clypeis insignitas. Ipsos Societatis Religiosos ac Sacerdotes, ad ceteras contumelias indignè habitos, quæque alia dum sigillatim memorat, Civitatem, ait, ob hujusmodi facinora meritam, quæ armatam iusti Principis vindictam sentiat, subactaque penas luat multo graviore; tamen clementiâ inductum, mitiora postulare se, & inprimis læsa existimationis ac jurisdictionis suæ, tum violata immunitatis Ecclesiasticæ, dein ignominia, damnorumque Ordini Societatis illatorum reparationem; & si Civitatem salvam velint, in turbarum authores, incentoresque serio inquirant; nec ea flagitia diu pœnâ carere patiantur, quin potius reorum perfidiam, severâ iustaque animadversione compensent. Præ ceteris vero Mallingerotium restituant custodiæ priori. Demùm quod hoc ipso Senatus exemplo convincatur populum à se in officio contineri non posse, cautionem postulat, Ecclesiastico

stico

1654.

*stico iuxta ac civili ordini universo  
major posthac securitas in Urbe praestetur.*

28.

*Respon-  
sio Sena-  
torum.*

Senatores qui missi erant, cum ab objectis initio criminibus purgare se frustra conniterentur, ipsam scilicet factorum evidentiam convicti; tandem paratos offerunt se in authores diligenter inquisituros, acturosque, ut dignam factis animadversione rei plectantur, quique damna intulerint, ad justam adigantur omnium reparationem. Quae vero necessitatem publicae quietis spectent, ea nunc Magistratum continendi, coercendique plebem media invenisse, ut sancte spondere possint, victurum posthac Ecclesiasticum ac civilem ordinem universum, omnis in Urbe periculi securum. At vero *Malingrotium* custodiae priori restituere Apostolicis se processibus ac brachij saecularis imploratione adhuc dum impediri.

*Replica  
Principis.*

Hos tametsi Princeps, occasione censurarum emanasse, nec ad separatam sectam postea apprehensionis casum, crimenque perduellionis capitale, cui nec ipse quidem Nuncius immiscere se velit, ullatenus extendi posse, satis superque monstraret; imò vero si (quam hactenus necdum expertus sit) tam pia Monasteriensis populus Religionis teneritudine ducatur, uti jam ante sapius, ita denudò contestari, abundè se apud Apostolicam

licam

licam Sedem pro iis responsurum, ne cæcò unius ex *Mallingcrotij* amore, in sui defectum, tam palliatâ veneratione porro abutantur. Cum interim Abligati instructionis ac potestatis defectum obtenderent, hac lege tandem dimissi sunt, ut quid super restituendo *Mallingcrotio* statuerit Senatus, spatio sextidui ad Principem ferant.

Is publicato per hos dies edicto, postquam multis exaggerat iniquitatem *Mockeliani* processûs, ad cætera subjungit, suspectissimum hunc Commissarium nimis temere & audacter, in favorem *Mallingcrotij* hominis privati, subdita civitatis adversus Præsulem & Principem suum, seculare brachium implorasse. *Arctius* etiam postea mandatum, nullâ sibi, nec Procuratori Fisci factâ insinuatione, ad simplicia, nudâq; tantum narrata pari temeritate & audaciâ decrevisse. Quibus stimulata *Mallingcrotij* protervia incautam plebem ad publicos etiam tumultus seduxerit, adeo quidem, ut nisi in tempore, malo tam exitiali occurratur, facile exurgat flamma, que vix postmodum extinguï possit. Cum autem post interpositam ad supremum Pontificis tribunal appellationem Nuncius Apostolicus non solum ulteriorem *Mockelio* processum inhibuerit,

Qui & Iniquum probat *Mockelii* processum.

rit,

1654.

rit, sed omnem pariter à se iurisdictionem abdicarint, testantibus ita documentis publico typo annexis. Eapropter severe interdici subditis omnibus, ne illicitis istiusmodi actibus Mallingcrotio cooperentur, sed ab omni violentiâ & cumprimis sacrilegâ violatione Ecclesiasticarum immunitatum se contineant, Sanctæ Sedis sententiam opperiantur, ac monitis, mandatisque Præsulis sui, quâ decet promptitudine, obedienter acquiescant. Qui secus fecerit, pœnas censurarum, aliâsq; civiles & graves luet. Datum erat Coesfeldiæ XVI. Octob. MDCLIV.

29.  
Senato-  
res per  
epistola  
respon-  
dent.

Quando jam sextiduum expiraverat, Monasterientes quidem reversi non sunt, sed prolixiorum miserunt epistolam, quâ suam testati rursus innocentiam, post feriam inquisitionem, neminem significant deprehendi potuisse; Mallingcrotium quoque per incolas Urbis aut cives ereptum custodiæ militari negant; Eundem verò restituere priori loco, nullatenus licere per intimatam jam dudum brachij secularis implorationem, cuius vim hactenus sublatam esse necdum legitimè constaret.

Id Prin-  
ceps in-  
digna-  
tus.

Princeps eâ se ludi tergiversatione interpretatus, quasi hominum pleno die, inspectante Urbe propemodum totâ, licenter tumult-



tumultuantium, ne vel ullus sciri posset, tametsi durioribus Civitatem mediis ad verius obsequium adigi oportere nonnulli ingerebant; præplacuit tamen mitior hucusque via; & ne quis postmodum superesset alicujus ignorantia; seu perseverantis implorati secularis brachij prætextus, ad cujusvis notitiam processus Apostolicos, omnemque adeò sublatam esse brachij implorationem, publicis etiam typis evulgare, germano quidem, uti semper, idiomate, verum sub hac formâ. *Pa-* *Inve-*  
*tienter jampridem toleratam esse supi-* *ctusque*  
*nam Bernardi Mallingcrotij malitiam, iterum*  
*ac pessimam hominis in proterviâ, & in actio-*  
*manifestâ quasi rebellione indurati, ac nes Mal-*  
*media queq; salutaria respuentis, & lingcro-*  
*tantum non extrema tentantis, jam ante tij.*  
*legitimè suspensi, declaratiq; irregula-*  
*ri & excommunicati pervicaciam; il-*  
*latus ipsi Principi, Cathedrali Collegio*  
*& fidei utriusque ministris enormes in-*  
*jurias; ficta & alieno solum colore ad-*  
*umbrata iniqua causa sua tegumenta;*  
*occultas juxta ac apertas tam Clerico-*  
*rum, quam secularium Monasteriensis*  
*Urbis incolarum seductiones, famosorumque*  
*scriptorum, libellorum, ac fabularum*  
*divulgationes; quibus, aliisq;*  
*hujusmodi illicitis mediis eo rem deduxerit,*  
*ut actiones ea contra Principem,*  
*Colle-*

1654. Collegium Cathedrale ac Ministros, imò  
 Et tu- & ipsos partibus minime implicitos ac  
 multuā- prorsus innocentes Patres Societatis  
 tis plebe- subsecuta sint, quales a seculo & ultra,  
 eula. in hac præsertim orthodoxâ Diœcesi nun-  
 quam fuerint audita; nunc vero prop-  
 ter furiosâ seditionis, barbarâ temeri-  
 tatis & contumeliarum ac detractorum  
 enormitatem, & imprimis sacris adeo  
 Canonibus inimicam immunitatis Eccle-  
 siastica lesionem, ipsiusque Mallingcro-  
 tij ex indictâ ob criminalem causam  
 custodia violentam ereptionem (cujus  
 animadversio Principi salva maneat)  
 adeo ubique innotuerint, ut pro dolor!  
 tragedia hac, velut totius orbis Chri-  
 stiani fabula, in publicis relationibus &  
 ore gentium fere omnium circumfera-  
 tur. Quodq; palam esset, hanc Mal-  
 lingcrorium dementiam plurimum fo-  
 visse per falsum huiusmodi commentum,  
 quasi tanta impietas, cacitasque ab ipsi  
 summo Pontifice atque aliis Magnatibus  
 probaretur, eidemque promovenda veh-  
 ementer profuisse Brachium illud ab im-  
 prudente Mockelio temeriter, nulliterque  
 ac per solos Mallingcrorij fautores Co-  
 lonia extortum, quale tametsi limites  
 etiam potestatis ac rationis excesserit,  
 nimis laxè tamen ac perperam quoque  
 fuerit explicatum. Ut autem enormis  
 æque

æque commenti istius falsitas pateſcat, atq; perſimiles in poſterum contra auctoritatem ſuperiorum (quos divina, humanaq; iura mordacibus linguis impunè proſcindi vetent) ab inquietis ſuſurronibus & factioſorum calamis nascentes impoſtura, falſiq; rumores, ante omnia vero ſeditionis cuiusque fomenta ſtudioſius caveantur; ſubnexos ab Eminentiffimo Cardinale Chinetto, ceu dele-Sublatã gato hæc in cauſã à Sanctitate ſua brachij Commiſſario, decretos, expeditosque ci-ſecularis tationis & inhibitionis proceſſus per ſo-impura- litam locis congruis affixionem ad cu- tionem juscunq; notitiam publicari. Eã tamen docet.

Romanorum proceſſuum intimatio nec finem antè, nec fidem invenit, donec ipſe tandem Nunciuſ repetita toties Principis dicta, edictaque, datis ad Senatum litteris confirmaret.

Immotus adhæc, lætòque ut ante vultu 30. Mallingrotius; quippe per eos dies, Mal- cum quotidiana curarum, tædiorumq; in-lingro- crementa oggerent amici, auditus dicere, tius con- animum ſibi eſſe, uti hæctenus nec labo-ſtantiam ribus nec adverſis unquam fractum, ita ſimulat. neque perſonarum eã, rerumque adverſan- tium multitudine frangendum. Credebant aliqui non conſtantiam illam, ſed curam eſſe, mœrorem adumbratã lætitiã conve- landi, quo æmulorum ſaltem oculos cu-

N

pito

1654. *Sed clam* pito mœrentis aspectu fraudaret. At pau-  
*Monas-* cis diebus post, quod exitum ipse prorsus  
*sterio e-* indeclinabilem, nonnullique Senatorum ex  
*gressus.* ejus morâ præviderent inevitabiles Urbis  
 calamitates, discedere persuasus est; testa-  
 tusque malle se absentem, quamcunque  
 fortunam experiri, quam vel minimâ in  
 re præsentiam suam obesse civitati adeo  
 sui studiosæ; sub dubiam vesperi lucem  
 Monasterio clam egressus *Hammonam*,  
 Urbem *Marce* principem, unius noctis  
*Coloniã* itinere devectus est. Undè rectâ Colo-  
*abit.* niam perrexit, sparsâ in plures famâ, quasi  
 propediem rediturus.

*Ejus*  
*scriba*  
*capitur.*

Haud ita feliciter evasit *Aschebrockius*,  
 ejus scriba. Hic enim pridie quam erat  
 discessurus à quodam Principis equite ro-  
 gatus, scirétne occasionem, quâ litterarum  
 fasciculus Decano commodiùs tradi posset,  
 nullius mali suspicax, opportunitissimam  
 quidem, ait, cras ipse ego Coloniam co-  
 gito, si quid habes, meæ id fidei com-  
 mitte, neque enim certiùs posse destinari.  
 Laudat opportunitatem eques, sibi que de  
 eâ gratulatur. *Aschebrockius* postridie  
 inter faustas multorum apprecationes abiit  
 sui securus: at vix suburbanam agri pla-  
 nitiem (*spiritum* dicunt) attigerat, illic  
 circumstat equitum agmen, jubetque im-  
 provisò gradum sistere, seseque Principis  
 jussu dedere captivum. Indè in *Abusa-*  
*num* carcerem trahunt. Isthic actus qui-  
 dem

dem injuriarū reus, at non multò post, Principe Monasterium ingressò, ex generali noxarum condonatione, & ipse dimissus fuit.

Profecto jam ad Ubios *Mallingcrotio* modica urbis conversio secuta est. Famosis iterum carminibus, contumeliis ac dictis passim certabatur. Hi carcerem criminabantur *Aschebrockij*, hominis ut agebant, innocentis, & justò atrocioris. Alij, in administratione provinciæ ferri Principem impotentius aequò, adversus subditos, eorūque jura; longè intentius exercere politicas dominandi curas, & sumptuosioris aulam, quam insulatum Præfullem addeceret. Nonnulli exaggerare tributorum onera, quæ patriis legibus adversa potestatem saperent omnium retrò Principum; Commoveri eà indignitate meritò se, ad quos privilegio Comitiorum pertineret hujusmodi cura. Illam solùm Principis, Capitalarium & adherentis Nobilitatis mentem videri, ut liberi cives, non secus ac in pagis, villisque servi & agrestes par jugum ferant. Quod si eam agendi viam, quam jam pridem inière, porrò continuent, haud dubie adacturos esse Civitatem atque universam patriam, ut quemcūque rerum statum, quam præsentem malint, in cujus demùm potestatem adigantur. Nec defuere, qui docebant ea, quæ Nonis Octobribus contigerant, esse prædicatione quadam, quam

31.  
Crimi-  
nationes  
plebs.

1654. taciturnitate digniora. Longè alia quippe meritos, nigritas illos, ac tenebriones; ità Patres Societatis appellabant. Cautè id agebant nonnulli; alij verò in invidia, odioque juxtà aperti adeò non dissimulabant, ut domi suæ, se coram permitterent haberi, haberentque & ipsi hujusmodi sermones. Gnarus omnium *Christophorus Bernardus* dicacior interim atro calculo notabat, futurus aliquando Judex & ultor. Neque hoc ipsum Cives latebat, collatà in Senatores culpà, qui de fide suspecti non ea tantùm, sed & Senatusconsulta, identidem prodere credebantur. Id quanquam seriò negabant ij, ac verius ostendebant, haud opus esse proditore eorum rerum, quæ palam, ac gloriosè passim in triviis, compitisque jactarentur: ægrè tamen à conceptà jam suspitione divelli poterant animi pertinaces.

*Fama de  
pulsis  
Monasterio  
feditis.*

Sub hæc universam ferè Germaniam impleverat nuperæ seditionis fama. Quæ sicut ab itineribus aucta erat, ita majorum cum plausu à multis etiam excepta. Jam enim *Societas* audiebat Monasterio pulsa; exuta bonis; Collegium eversum; è familiâ trucidatus non unus. Et fidem tantò faciliùs invenit rumor, quantò sparsus unà causarum prætextus, & Jesuitis familiarior, & ideò non paucis verior credebatur. Nec ipsi cives à calumnia immunes fuere, dicti promiscuè seditionis authores.

Hanc

Hanc tamen haud aliundè volebant quam ex officinâ Jesuitarum prodiisse. Et ad miniculo erat datus per eos dies in vulgum libellus supplex, quem malevoli confinxerant, veluti à Jesuitis adversus Urbem Cæsari oblatum, pro obtinendâ illati nuper damni reparatione. Qualem civis injuriam non omisit cum Jesuitis acerbius expoſtulare. Ut falsos igitur hujusmodi rumores, objectâq; dilueret Societas, unâque testaretur Urbi & Orbi innocentiam suam, Vindicias linguâ vernaculâ divulgavit hujus argumenti.

*Pervagatas haud dubie suâ jam 32.  
famâ Romanum omne Imperium illas Eorum  
nuper fatales Societati Nonas Octo- Vindi-  
bres: Et quibus tunc, quando in Urbe  
manus injiciebantur Decano Malling-  
crotio, commota seditionibus plebs tur-  
bulentior, impetu ad Collegium delata,  
& assultu facto, impactâq; in portam  
ariete, foribus aſſulatim effractis, & in-  
sanis clamoribus, furisq; tumultuata  
irruerit: malè primum accepto, con-  
tusq; verberibus, qui ad ostium cura-  
bat, Janitore istius Ordinis Religioso;  
conficiendo certius, nisi cæcis furoribus  
incolumem subduxisset fuga. Disſolos un-  
dique in cubicula sclopos, fenestras supra  
bis centum, omnes eleganti encausto pic-  
tas, insignitâsq; Cathedralium Canonico-  
rum & Primatum Patria scutis gentili-  
tatis, excussas insolenter, ad ignominiam pa-*

1654.

190 CHRISTOPH. BERNARD.

riter nominis Religiosi, & Nobilitatis totius insigne ludibrium. Non procul Collegio sub idem tempus duobus de eadem Societate in publico compitis vim factam, quibus etiam, cum in vicinas aedes a turba se proriperent, ita instituisse à tergo furorē insequentium, ut coegerint ex domorum tectis per tecta in alias descendere. Quā effugiendi timidā festinatione factum sit, ut eorum alter in subiectos siles corruens ex alto, crura alterum & dorsum ita graviter alliserit ad terram, ut eum sub molestā, difficultiq; curatione tenuerit longum tempus. Sed neque hic sterisse impetus insanientium: Auditas passim comminantium vociferationes: non ante admissuros quietem, quam in luculentis flammis videant unā simul cum suis incolis Collegium cinerescere, aut illos igne, flammāque suis ē latebris elicitos, ad exquisitam necem & supplicium tradi.

Etsi pro comperto sit, quos in eam tumultuationem suae furiae concitaverint, eos ē faece male feriat a plebis, colluvieq; hominum confuxisse. Senatores enim & optimos quosq; ē populo non solum testatos, quā moleste ferant indignum facinus, injuriāq; execrandum anathema, aliāq; promeritam: verum etiam, ne ultra progrediretur furiosa plebis insania, submissis, qui audaciam sisterent, prohibuisse. Nec minus exploratum, quas penas divina,



divina, humanaq; jura vi ac violentia  
tali constituent; quin & recenti plero-  
rumq; memoria obvient diversa tam in  
Romano subjectis Imperio Ditionibus,  
quam externis Provinciis, in hanc rem  
edita exempla suppliciorum. Haud tamen  
subeat animum Societatis ea vindex cogi-  
tatio, ut velit ad similes pœnas eos, qui  
sunt commeriti, deponere; sed pacis com-  
munis, amorisq; studio, quæ facta sint, ita  
ignosci, ut deprecentur etiam caeleste Nu-  
men, quo in sui facinoris conscientiam ipsi  
veniant, & vitæ melioris ponant initia.  
Et hanc etiam causam fuisse, ut auctores  
turbarum, earumque participes noluerint  
Magistratui prodere, ad supplicia nu-  
per eos perquirenti.

Ne quid tamen omittatur earum rerum,  
quæ possint, imò debeant ad tuendam Re-  
ligiosi nominis existimationem facere:  
Nec etiam in culpa quis ponat & vitio,  
tacuisse (prout à malevolis quibusdam  
tegendero suo facinori, illataq; Societati  
injuria, jam factitatum prudentiores ci-  
vium detulerint) DEUM optimum ma-  
ximum testem & Orbis universi fidem  
implorare, contestariq; Societatis inno-  
centiam; nec enim ullum istius unquã im-  
pudentia futurũ, qui tumultuum horũ cau-  
sam, ut ut levem, Societatis noxa assignet.

Obtendi quidem varia, sed maligne com-  
menta, procul candidâ veritate, procul

ratione & fide. Uti primò, Alterum Theologorum e Societate acerrimo scripto commovisse Principem, ut sacro anathemate Decanum perculerit, atque ideo mala omnia inde enata non alteri, quam eidem adscribi debeant, à cuius si non voluntate, saltem calamo illa sint profecta. Nec enim extrema ea tentaturum unquam fuisse Principem, si non eò pellexisset tam acre, severumq; scribentis incitamentum.

Ad hæc secundò, Concionatorem Societatis in promulgando anathemate verborum acrimoniâ & voce usum a quo contentiore, magno utiq; voluptatis argumento, quam ex Decani malis hauririt. Atq; indè esse, quod idem haud multò post, cum ab Apostolici Nuncii Commissario traderentur absolventes ad cautelam litteræ, eas non modò non recitaverit pro concione, sed ne acceptarit quidem. Ex eoque ad cæteras palmarem quasi Decano injuriam accessisse.

Ac tertio, Ut primùm à parte Principis notatum fuerit, haud illos sacrum programma exitus habuisse, quos antea spes conceperat, Rectorem Collegij iter maturâsse Coesfeldiam, auctoremq; fuisse Principi, injicerentur manus Decano, & alicubi privatâ tantisper custodiâ circumfideretur, quoad melior spes inclinanda ad ea, quæ vellet, voluntatis  
 affulge-

affulgeret, imò & operâ suâ eò perduxisse negotium, ut ante, quam iter relegeret, Decani detentio certis fuerit sententiis constituta; nec aliud in deliberationem venerit, quam modus, quo possent faciliore, ac sine plebis concitatione huiusmodi consilia expediri.

Hunc in finem quartò Patres habuisse domi, clam cive, occultos noctu milites: armasse scalis, securibus, & cetero ad rem gerendam idoneo instrumento. Navim etiam, quâ secundis aquis à tergo per hortum illapsi se in Decani cubile penetraverint, addidisse. Ad hac horti vicinum pontem communstrasse militibus, vel futurum securo ad receptum itineri, si res malè caderet; vel viam daturum illac abripiendo in rhedam per Marianas ades Decano. Quin & rhedam stetisse, ante domus istius ostium, in omnem imperantium nutum comparatam.

Accedere quintò, nonneminem Patrum Societatis, pridie quam in Decani curiam miles perumperet, Syndicum Collegii Cathedralis domi convenisse, cum eodémque contulisse consilia in alteram adeò horam protracta: tantum eò, ut quâ posset dexterrimâ viâ auereri Decanus, decerneretur. Sanè ut istius contra Decanum processus ignorantia nequeat à Patribus obmoveri.

Denique sextò, hæc omnia eo tantum spectasse, ut ad vota Societatis deflecterent Canoniorum animos, quò facilius hortum commodè adsitum, inq; usus Collegij peropportunum à Capitulo Cathedrali impetrarent.

Tametsi jam exploratum sit, in infimâ fœce vulgi esse, qui adversus Societatem calumnias huiusmodi, commentaque conflaverint; non posse non iterum innocentiam, iterumque palam testari; nec interim quidem inficias ire, propositas à Principe quæstiones alterum è Theologis enodasse; nemini verò posse mirum videri paruisse Prasuli ac Principi ea in re, quam privato cuiq; vel ad conscientia moderationem, vel ex muneris & instituti ratione Societas agnoscat se debere. Nihil autem continuisse quæstiones eas de excludendo Sacris Decano; versari obvias uti sermonibus, ita & manibus multorum; posse lustrari ac discuti; ut quam auribus forsàn abnuant, proprij adversantium oculi, nisi quod glaucoma obiecerit sinister animus, fidem mereantur.

Suspensionis etiam triennio fere ab hinc lata censuram, ejusque robur ac firmamentum non suffragationibus eiusdem Theologi, sed Jurisconsultorum Romani fori placitis ac sententiis constitisse.

tisse. Locupletissimos ejus rei testes esse ipsum Cathedrale Collegium, cujus auctoritate prodicens nuper libellus luculenter id commonstret. Eratum à Principe e Bullâ canæ Domini ob recursum ad Laicampotestatem aliud fulmen contorquendum, tamen ad sensum juris idem Theologus explicarit, nihil inde tamen damni profuxisse, quod nunquam hætenus districtum, nunquam intentatum sit.

De ceterò, quæcûq; consultus unquam senserit, responderit, definiverit, ex vulgariore Canonum sensu, commentantium mente, Theologorum auctoritate, quos scripto nominarit, semper interpretatum, nec majorem ex hoc offensam promereri, quam ceteros omnes, Legum aut Canonum interpretes, aut ipsos sacri, profanique juris conditores.

Verum dissimuletur etiam, Theologus is noxiæ reus sit, an idcirco, quod ab uno peccatum, tot alij insontes, ejus sceleris culpâ continuo implicandi? tantisque in eos furoribus debacchandûm? atque illo præsertim tot aucto privilegiis, tamque immuni loco? auctoritate privatâ, nullo judice, non vocatis in judicium, non auditis ad tribunal, non convictis partibus? contra fas & æquum? DEU IMMORTALEM!

ita

1654. ita si vivere liceat quis in tuto collocet vitam, quis vim arceat à tectis, à fortunis, à capite? judicet cordatus Lector.

Seß. 25. Concionatorem in promulgando anathemate fecisse conformiter iis, quæ Tridentini præceptis accuratè cauta sint. c. 12. de Regular. Sed extulisse vocem, vel quidquam adjecisse de suo, in putidissimis posse mendacis accenseri. Ad eorum provocari fidem, qui præsentem audierint. Omississe verò recitationem absolutionis ex instituti sui lege, cui noluerit factò suo fraudi esse, cum ad solos Parochos irent hæc littera. Nec in eo peccasse magis, quam ceteros Religiosorum Ordinum Concionatores, quorum etiam nemo è suggestu illas promulgavit. Ceterum & hunc & reliquos Societatis Patres in suis ad populum concionibus solenter cavisse semper, ne quid dicendo attigerint, quod in præsentem controversiam veniret, aut speciem obtineret primates viros sigillandi.

Demùm in aperto esse Rectorem Collegii & fuisse Coesfeldia & ad colloquium Principis admissum, id verò in mendacissimis calumniis, vel suasisse vel intulisse sermonem de trabendo vel ad carceres, vel ad privatam custodiam Decano. Si qua forsan laboret hic fides,

fides, in testem adduci posse, ubi res aut locus postulaverit, ipsum Principem. Et plures etiam confirmaturos, quâ datâ occasione studuisse semper Rectorem, ut animos dissidentium conciliaret, & in semine quasi suffocaret partium studia. Nec raro ad eam mentem sacris operatum esse. Quin & hac ipsa tempestate Collegas omnes sapius ac severius commouisse, ne quid unquam scriberent aut loquerentur, quod alterutrius partis offensam posset mereri. Id speret etiam obedienter ab omnibus observatum, aut si quem contra peccasse possit argui, non abiturum impune polliceatur.

Cetera, quæ à maledicente vulgo prætereà impingantur, ut abditi noctu milites, ut arma data, ut subministrata scala, ut secures, ut naves advectæ, ut pro insidiis aut pro receptu pontes, ut rheda, & quæ harum similia vanissimè corrasa sint, haud abesse, quam priora, longius ab impudente calumniâ. Nec enim de trivio puerum reperiri, qui ignoret, palam luce, inq; oculis multorum alia fuisse à militibus aperta itinera; alios aditus, accessusque patefactos; prorsus ut nec pedem in Collegij fundum inferre, aut earum rerum quidquam expetere opus fuerit, quarum innocentes insimulet tam improba criminationis.

natio.

1654.

natio. Quid quod à toto illo tempore, quo Alpham ponte iunxerit Collegium, alienà semper scapha utendum, eaque à Decano mutuanda fuerit, quoties pro temporis exigentiâ emendanda essent ripa.

Qua de congressu cum Syndico quintum cornicentur, nihilò propius abesse à vero. Nec eum illo die pedem extra limen domo promovisse eum, quem insimulent; nec spem quidem mutui conspectus fuisse vel colloqui, quod absens ab Urbe Syndicus eo tempore in prædio suo rusticaretur.

Postrema tandem calumnia de blandimentis & assentatiunculis ad aucupandam Principis & Canonicorum gratiam, aut oblandiendam horti particulam, adificio Collegii peropportunam, tanto minus confutari mereatur, quanto apertius sit convitium hoc ab invidis tantum, aversisque animis prodiisse.

Agnoscat equidem Societas Canonicis & Principi cumprimis se devotam, à quibus scilicet in Urbem evocata, ac pluribus identidem beneficiis donata, auctaque sit, ut multis nominibus obstricta fateatur lubens id Primatibus his deberi; quo intelligant, quam gratam oporteat esse memoriam gratiarum. Sed non ideo ab instituti sui legibus



legibus vel latum unguem aviâsse, vel quidquam contra fas & equum, aut divina, humanâque iura commisisse. Ab annis autem triginta spem factam esse hortuli istius potiundi, sed diversis sæpennmero obstaculis suspensam, donec nuperâ Congregatione Jacobinâ communibus Canonicorum omnium suffragiis in venditionem itum, & portio ea empto tandem Societati acquisita sit. Tantum abesse, ut quod sola clamet obtrectatorum impudentia, adulantium assentationibus veniat adscribenda. Nec enim eos se esse, qui famam vili lucello, aut nominis sui estimationem, imò super hæc æternam salutem tantillo terra aut pugillo fundi leviter postponant.

Cum ex his igitur sole clariùs elucescat, quidquid de Societate sparsum sit, calumnias esse, ex officinis malevolorum profectas, ac citra veri, falsiq; discrimen ab infensis, conjuratisq; animis in sacrantantum Ordinis odium confictas, consutâsq;, nec aliò, quam ad concitandam magis plebem ac seditionis nutrimentum pertinere. Eapropter sperent futurum, ut si quis livor ante fascinârit obtrectantium animas, inter eum veritatis splendorem, deposito nunc erroris velo, Societatis innocentiam agnoscant,

inno-

1654.

innoventque postliminio pristini amoris ac benevolentia argumenta, nec improbis posthac rumoribus aures, animosque patefaciant, sed mutatis studiis favere pergant, & constanter iterum adjungere exutas odiis & erroribus voluntates.

Adhuc de Magistratu, deque civis benevolo confidant, quâ promptitudinem Societatis innocentiam publicis nuper litteris testatam fecerint, eadem curaturos in posterum, ut extra metum periculi vivere, quaque ad procurandam DEI gloriam, vel proximorum salutem instituti ratio postulârit, tuto deinceps, & sine vitæ, fama, fortunarum discrimine exequi liceat: canturosque etiam, ne posthac molestant, aut vim inferant, præsertim ij, quorum commodis annos amplius sexaginta indefesso hæctenus labore Societas insudavit. Ne flammam rectis minentur aut injiciant, quorum domos toties, & cum primis septimo ab inde anno, quando pulveraria proxime vallum turris, quæ nesciatur infortunio, flammam conceperat, homines Societatis non sine præsentissimo vitæ periculo dejectis ignibus ac restinctis incendiis feliciter conservarint. Ne porro vitæ, fortunisque eorum insidia struantur, qui toties, cum

serperet per Urbem & civem passim depasceretur pestis, aut alia periculosa contagio, posthabito quovis vita periculo constanter adstiterint, iuverintq; remediis, & anime & corpori opportunis.

Id denique sperent, laboraturam Catholicam Urbem, & tantâ ubiq; terrarum famâ celebratam, ne apud exteras, vicinâsque gentes & charissimam imprimis posterorum memoriam parca laus patiatur, audiâtque cum immortalis suo dedecore aliquando, dedisse maculam in gloriâ suâ.

Quò verò etiam testatior esset Patrum innocentia, subjungere testimonium, quod ad Societatis preces paucis diebus antè largitus erat Senatus Monasteriensis tenore subsequente.

Nos Consules ac Senatores Urbis Monasterij Westphalia presentibus hisce Testimo-  
 litteris notum facimus, Posteaquam Nonis Octobribus labentis anni e præ-natûs  
 toriâ cohorte Celsissimi Principis milites Urbici aliquot in Decani Mallingrotij curiam de Patrû  
 armati penetrârant, exorto tunc in innocen-  
 Urbe tumultu, profligatiores quòsque tiâ.  
 ex officinis opificum & fœce plebis (quod  
 per errorem opinarentur, Patres So-  
 cietatis JESU militibus per hortum  
 Collegij viam aperuisse, iisdemq; navi-  
 gium

1654.

gium mutuatos, ac dein reversos in Collegium recepisse, imo & in hoc negotio occulte & aperte consilio & auxilio adfuisse) impetu in Collegium facto, opprobria, damna, aliasque excussis etiam fenestris insolentias cumulasse. Insperatum autem istius facinoris rumorem, confectâ jam turpiter re, prius ad Nos delatum, nihilominus curam Nobis imposuisse, ut audaciam furentis vulgi stiterimus. Interim Patres Societatis Nobis supplicarunt, ut publicum ipsis innocentia testimonium impertiri dignaremur, quo possent sinistras multorum suspiciones elidere, & tam apud rerum ignaros, quam adversus malevolorum obtrectationes nominis sui existimationem tueri.

Cum itaque muneri nostro incumbat ad preces cujuscunque, cum primis verò Patrum Societatis, compertissima veritati suffragari, utpotè qui annis amplius sexaginta tum erudiendâ hæc in Urbe bonis artibus ac disciplinis, perpoliendâque nostrâ juventute, tum sacris etiam concionibus, cæterâque ad populum doctrinâ, & præclaris virtutum exercitiis, insigni quoque religiosa vita exemplo, ingentes Reip. fructus & utilitates attulerunt, atq; ideo longè alia, & grati in primis animi testi-

restificationem, præquam illa probra,  
injurias ac damna commereantur.

Hinc palam Orbe universo testa-  
mur, nominatos Patres Societatis ob-  
jectorum hujusmodi criminum, seu alio-  
rum etiam, quæ hanc ob causam à  
malevolis quoquo modo impingi possent,  
non tantum nullam noxiam sustinere,  
sed & illatas injurias, damnæque per  
calumniam passos esse; atq; ea propter  
sollicite curaturos Nos, ut quotquot  
nocentes deprehendi contigerit, digna  
facinore & exemplaris in eos pœna sta-  
tuatur. In quorum fidem presentes  
dedimus publico Civitatis Sigillo & Se-  
cretarij Nostri manu roboratas. Die XVI.  
Novembris. Anno M. DC. LIV.

(L.S.)

BERNARDUS HOLLANDT

Secretarius.

Libellus hic ut primùm ad civium ma-  
nus devenit, mirum dictu, quàm in varia  
de eo judicia abiêre. Non pauci taxare  
stylum, modumque scribendi, è pulvere  
quali scholastico prorepentem. Argumen-  
tum alij partim blanditiarum, partim falsi-  
tatis arguere. Non tantùm fœcem vulgi,  
sed & civem haud obscure insimulari factio-  
nis.

34.  
Vindi-  
cias  
plebs  
crimina-  
tur.

1654.

nis. Id vel ad irritandos vehementiùs animos, vel ad gratiam Principis aucupandam solùm pertinere. Reis tacitè indignantibus propalari flagitia per id temporis commissa; ad hæc calumnias, commentaque disertâ veritate reprobari. Augentibus etiam apud alios indignationem, uno Jesuitarum scripto traduci nunc Civitatem ubiq; gentium, apud summos juxta ac infimos, uti perduellionis ream. Profectò injuriam esse, quæ dignâ festinatâque mereatur ultione compensari.

*Et urbis  
innocen-  
tiam pa-  
ri libello  
Senatus  
asserit.*

Senatus verò simul ac cognovit sub prælo sudare *Vindicius* Societatis, ægrè id admodum tulit, testatus contra fidem agi; nec enim testimonium innocentiae eo pronuper sine communicatum esse, ut cum Urbis ignominiâ, quam indubiè post se traheret, publico typo in vulgus ederetur: sed privatae tantùm necessitati serviret, aut informandæ aliquando posteritati. Ut omnè igitur de se ac civibus etiam conceptæ forsan alibi sinistrae suspicionis notam expungeret, haud omisit pares ocyùs vindicias patriâ linguâ evulgare: quarum summa hæc erat.

*Ejus  
Summa.*

*Super abducendo ex Vrbe Malling-  
crotio imperiosas à Principe litteras  
Senatui traditas esse: eas Civitatis pri-  
vilegio refragari. Sacrarum persona-  
rum detentionem, extraditionemq; non  
Prin-*

Principis sed sui, consuetudine & instituto maiorum, à multis retro annis observati iuris esse. Oratum abs se Principem, dignaretur irrogandam viro seni, Prælato, de patria præclare merito pœnam emollire; alia namq; media haudquaquam ipsi defutura; remq; non difficultati solum sed & plenam periculi iudicatam. Verùm iis effectum prorsus nihil. Fissum sub hac ab Apostolico Nuncio Monasteriensem populum, adversus comminatam extraditionem forti manu Decanum tueri; Romam quidem à Principe provocatum, sed de verâ litis sublatione non edoctos, in præfidentem deposita iracundiæ spem erectos fuisse. Interea Nonis Octob. Prætorianos aliquot, sub secundam pomeridianam, Senatu prorsus ignaro, Maltingerotiæ edes, per posticum armatos clam intrasse; illico confluisse confertam isthuc populi turbam. Missos exploratum Oratorem ac Secretarium Urbis; ab iisque captos jam motus feliciter sedatos. Coactas ad anteverendum ulterioribus motibus duas è civis centurias. Elabente verò per ignotam viam Decano, sparsos quorundâ malevolentia Societatis Patres, ad ejus aulam Prætorianis aditum concessisse, & accommodato ad eum finem navi-

1654.

gio regressos acceptasse. Quo clamore concitatos aliquot de sentina populi illata vi Collegio, fenestras excussisse. Ab uno tamen cive illico fugatos. Summam facinoris illius displicentiam colligi ex sedula authorum inquisitione, ut & pœna reis irrogari, & damnum innocenti Societati illatum resarciri posset. Syndicum contumeliosi cuiusdam dicti a Pratorianis falso delatum, paratumque jure, si res ita postulet, ac multorum testimonio abunde se purgare. Et verò conceptam temere suspicionem tantò sibi majorem animi cruciatum adferre, quanto mererentur digniora sumptus, laborésque præmia, quos in superioribus bellis, recuperatis non unâ præmunitis arcibus & oppidis, servatâ Imperio fide, suppeditatâ toties Cæsareis exercitibus annonâ, ipso milite non semel intra Urbis mœnia recepto, ac pro asserendâ Principi Vrbe, atque ipsa Provinciâ, continuato in plures annos sumptuose præsidio, Monasteriensis Populus exantlasset. Et in recenti omnium memoria esse, non ita adhuc pridem, solâ in patriam, Hassorum, Suecorumque molestiâ liberandam pietate, centum triginta & amplius Imperialium dalerorum millia, suâ fide Civitatem cœgisse. Ea omnia longè aliam profecto, quam in causa se prorsus alienâ sinistra



*sinistra suspitionis sententiam promereri.*  
 Perinulti conceptum jam libellum publi-  
 cari dissuadebant, quod vulgatum quóque  
 non modo nihil Urbi profuturum verò-  
 similiùs arbitrarentur, sed & timerent se-  
 men fore novorum fœtuum, quibus &  
 Civium causa & Civitatis existimatio gra-  
 viùs læderetur. At prævaluit eorum sen-  
 tentia, qui contrariantium opinioni edi-  
 tionem præferabant.

Vix lucem aspexerat & ecce mox sub  
 prælo sudabat antitypum, quo Principis *Quid*  
 nomine hoc ferè modo singula confuta-*contra*  
 bantur. *Litteras ad Senatum communi evulget*  
*formâ, adeoque Civitatis juri non repu- Prin-*  
*gnante exaratas; Dominantium enim ceps.*  
 esse mandare subditis, quo motibus fa-  
 ctiosorum occurratur. Comprehendendi  
 Clericos, ducendique tam Imperatorum,  
 quam Pontificum legibus, ad sacrum  
 duntaxat Magistratum pertinere. Ma-  
 lingrotij merita, si qua essent, non e-  
 vincere enormis contumacia veniam.  
 Seditiois principia nimium invaluisse;  
 media seriùs aut nulla certè adhibita.  
 Perperam sileri causas, cur rationibus  
 Senatorum Commissarij Principis non  
 acquieverint. Hunc jure suo usum, dum  
 per Satellites suos attrineri Decanum  
 jussit: neque opus fuisse Senatum edo-  
 cere rem, quam ipsi ultrò agnoscant à

1654.

se prorsus alienam; & tamen mature satis edoctum per *Quantium*, qui à secretis, & ideo missus erat, sed remoram illi in Curia injectam esse. Populi turbas adventante *Vierdenhalvio* inchoatas, arceri quidem haud difficulter potuisse, si aut verbis licentiam hominum castigassent, aut confluentes misso statim *Urbico* milite dispulissent; cum vel *Civium* unus furentem populum, diripientemque Collegium Societatis (facinus summâ dignum ultione ac Principi reservatum) solus postea fugarit. Reorum neminem studiose inquisitum; facile enim deprehendi posse, qui noti passim nominarentur. Verisimiles videri *Vierdenhalvij* contumelias, quippe è *Pratorianis* offerre se quinos *laniens*, eo tormenti genere dicti veritatem testaturos. Nunquam ea, que Patria bono jactitent, absq; sui emolumento, *Monasterienses* prestitisse. *Aetas* superioribus bellis magnis partibus *civium* opes; eorumq; fortunas unâ *Cæsaris*, *Principis* & *Ordinum* patriæ curâ servatas; & nec minùs ab exulantium inopiâ, quam emptis vili pradis, magnas accessiones fecisse. *Bellicos* sumptus majori potissimum fœnore restitutos. *Urbis* militiam patriæ pecuniâ sustentatam. Constare, quantum eâ nuper exigenda capi-

capitationis tergiversatione damnum  
Diœcesi attulerit Civitas, & tamen pro  
pecuniis, eo tempore fide publicâ co-  
actis, aliquot Imperialium millia gra-  
titudinis ergò oblata esse: quæque  
id genus plura erant, copiosè deducta,  
pleniorè quam expectabant divulga-  
tionem, secuta post Civitatis obsidio-  
nem generalis noxarum condonatio, ac  
præteritorum omnium oblivio plurimùm  
suppressit.

Princeps intereà sub maturam jam hye-  
mem convocandis ad Comitiam Coesfeldiam  
Ordinibus insistit, certus Monasterium ab  
iis excludere; dubius autem, soliusne Ca-  
thedralis Collegij nomine evocarentur Or-  
dines, an verò loco Monasteriensis Urbis  
(quæ post Principem unà cum Capitulo  
Majore cæteros evocare consuevit) è Ci-  
vitatibus tantisper alia substitueretur, Jam  
tunc enim tentati *Coesfeldienses* pacti  
quondam inter Civitates mutui cujusdam  
fœderis prætextu operam suam recusarant.  
Placuit nihilominus usitatæ consuetudini  
inherere. *Warendorpium* igitur inter-  
pellatum sinè morâ consentit, & tantò qui-  
dem promptiùs ad eum finem offert sigil-  
lum, quantò sibi, posterisque novus hic  
honor visus gloriosior, & apud Principem  
uberioris ex eo gratiæ cortius incremen-  
tum; invidiâ, quam idcirco, apud Mona-  
sterienses

36.

Ordini-  
bus pa-  
trie in-  
dicat co-  
mitia.

Litteras  
evocato-  
rias Wa-  
render-  
pium si-  
gnat.

1654.

sterienses imprimis, haud modicam subiere, vel eò facilius superatâ. Nec ex vano spes fuit, nam ab illo tempore *Warendorpienses, Christophorum Bernardum* semper experti sunt supra cæteros Civitatis suæ studiosum.

*Contra quod Monasterienses protestantur.*

At verò indignabundi Monasterienses, nonnullos ocys è Senatu Coesfeldiam ablegant, novam hanc cum Principe injuriam exostulatum. Et quamvis difficilem prudentiores accessum præmonerent, nec inutile tantum, sed & periculosum sic animatis iter. Abiere tamen, & contra quam plerique opinabantur, à Principe admissi, auditique sunt. Summa orationis erat. Advenisse se à Monasteriensi populo missos, causam humiliter scifeitatum, cur in convocandis ad Comitibus patriæ, contra formam à majoribus hucusque observatam immerentes præteriti, imò nec ad ipsum quidem conventum usitato more acciti essent, arbitrari id hætenus fecisse Monasterium, quod Urbem Principi devotam addeceret.

37.  
*Principis in eos investiva.*

Enimverò *Christophorus Bernardus* vix initio dissimulatâ offensione, mirari se, ait, *Monasteriensium* rogata, quippe causas in promptu esse, uti publicas, ita nulli non cognitâs, perspectâsque. *Ante oculos omnium versari turbas elapsâ*

elapsâ nuper astate potissimum à Mo-  
 nasteriensi populo fotas; Senatores pe-  
 stem hanc impane grassari, convelli sta-  
 tum, tranquillitatēq; Civitatis quotidie  
 labefactari passos; ipsum seditionis Prin-  
 cipem, perduellēq; Mallingrotium, iam  
 ante sacris interdictum, apud se asserva-  
 se, secus quam oportebat Civitatem Sa-  
 cramento Prasuli adstrictam; mandatis  
 suis ob frivola quadam diverticula non  
 obtemperatum, ministros gravi utiq; &  
 sui & illorum injuria indigne, contume-  
 lioseq; habitos; impiam, inauditamque  
 illam septimâ Octobris seditionem in-  
 spectante Senatu toleratam, neque in  
 authores hæctenus animadversum. Imò  
 calumnias ac convitia citra metum, re-  
 spectumque sui, ceu Prasulis ac Princi-  
 pis, adhuc quotidie cumulari. Quin etiâ  
 ea, quæ commissa sint antè, vel indices  
 adhuc committantur facinora, non modò  
 cive aut Senatu non reluctante, sed cum  
 utriusq; tripudio quasi ac plausu hodie dū  
 circumferri: aliâq; id genus contraria  
 hominibus, qui plebis præfecti, subditiq;  
 Principi forent, palam admisisse; & ex  
 eo meruisse Civitatem, quæ a Comitibus  
 excludatur.

Hanc exprobrationem Monasterien- *Respōsio*  
 ses haud demissè satis deprecari sunt, sed *Mona-*  
 ita respondere, ut pleraq; abs se facta per- *sterien-*  
 negarent, multa iuterpretarentur, aliqua *sium.*  
 non

1654.

non abnuerent, sed jure patrata affirmarent; cumque servato juris ordine nondum hactenus auditi, neque culpæ aliæ eius convicti, damnatique essent, longè alia sperare se; sin secus; de infractis juribus protestari; & si nihilominus præteritâ civitate Comitia celebrentur, quidquid demùm statui contigerit, nunquam id gratum, ratumve habituros; nec enim passurum Senatum, Populumque Monasteriensem de privilegiis suis carpi quidquam. At ubi Principem conspexere, sui ut antea propositi tenacem, tertiam, ex qua venerant, luce redierunt. Abeuntibus autem Monasteriensibus Comitia cæpta sunt, ac brevi terminata. In iis potissimum ob finitimos motus de fœdere cum externis Principibus ineundo, de patriæ præsidio ac stipendio militiæ tractatum. Principi pecuniæ in singulos menses ab Ordinibus attributæ, quibus partim levarentur onera patriæ, partim tria peditum millia, ac mille equites alerentur.

38.

*Tandem  
Senatus  
serio in-  
quirit in  
nupera  
Seditio-  
nis reos.*

At verò Senatus Monasteriensis, certus jam, haud aliâ, quam reorum studiosâ inquisitione placabilem esse Principis animum, diversos quotidie ad Tribunal evocabat, quaestionibus eorum, qui accusabantur, responsisque sedulo intentus. Sed dum ab objectis se criminibus versutiores explicant, in pernegando non pauci persistunt,

sistunt, & alij post expeditum innocentiae juramentum, nimis facile dimittuntur, haud modica difficultas initio fuit isthac via reum vel unum deprehendendi. Donec tandem pistoris cujuscumque servus, denunciatione plurium suspectior, in judicium tractus, post sponfam complices prodituro veniam, libertatemque, cui famulabatur, herum nominavit, qui grassante turbâ hastatus, haud procul ab æde summâ, ad imitationem, exemplumque sui, traditâ se bipenni animârat. Is namque conjectus in vincula, hic in aliquâ portarum contignatione custodiri jussus, plures malè conscios, experimento suo docuere, dum ut quisque culpæ propior aut capesceret fugam, aut lateret ad tempus, terrore etiam, ac suppliciorum minis, obsequium adversus Principem, quietemque in Urbibus comparari; & mali principis eadem severitate non obsistere, esse publicæ tranquillitati longè perniciosum.

Ingentes erant apparatus, quos in Sueciâ per eos dies, & magnâ parte Germaniæ adornabat *Carolus Gustavus Suecorum Rex*. Suspensus circum hærebat Orbis, incertus, ac suspicax, in quam demùm provinciam vis tanta converteretur. Volebant nonnulli in Danos moturum Regem aut Batavos, quos pridem commodis suis adversos, gravesque sensisset Suecia; multi

39.

*Armat  
se Suecia  
Rex.*

*Varij de  
co rumo-  
ros.*

contra

contra Moscos iturum Livoniæ tunc infectos. Non pauci tam numerosum legi militem pro Hispano Rege, dirigente sic *Christina*, quæ post ultroneam Sueciæ, aliorumque regnorum ac provinciarum, amplissimi patrimonij abdicacionem; Antverpiæ ac Bruxellis tunc morata, Catholicæ fidei professionem meditabatur. Plures ambire *Carolus* imperiale diadema, ideoque non passurum unquam *Ferdinando Quarto*, qui sub mensem Julium præsentis anni è vivis excesserat, alterum denuò Romanorum Regem surrogari, aut certè bello Germaniam, electionemque turbaturum: instigante cum primis Galliarum Regno, ac nervum belli cumulatim submittente; conspirantibus etiam diversis in Imperio Principibus, atque ipso Britannorum Protectore *Cromwellio*. Plerique verò Martem Suecicum Poloniam aggressurum, quod *Casimirus* Rex jus hæreditarium in Sueciam prætendens, Carolinae nuper coronationi contradixisset, & bella hodie intestina magnorum Carolo progressuum spem facerent: aut certè terris Juliacensibus inferendum ominabantur. Quippe *Bipontinos* Duces jus omne, quod in Juliam, annexasque ditiones sustinent ex maternâ sibi hæreditate per cæteris deberi, transcripsisse *Carolo Gustavo*, ex eadem Bipontinorum gente descendenti, haud aliter hodie, quam



quam uti ipse jactitasse ferebatur, solo Marte vindicandum. Quod autem is consilia sua, ad proximi veris exitum cautus occultaret, par ferè timor vicinos interim Reges ac Principes invasit. Cæsar ad incerta belli se parabat. Danus, Brandenburgicus, Brunsvico-Lunæburgici, & cum primis Neoburgi Dux, intentiore quam unquam delectu instituto, finibus suis prospiciebant.

Ab his quoque monitus *Christophorus Bernardus* tantò erat sollicitior, quanto periculo vicinior Principatus. Nec ei tunc difficile fuit festinatò copias augere. Cùm enim pridem edicto vetuisset, ne quis subditorum peregrinæ alibi militiæ nomeu daret, offerebant se certatim veterani, diuturno nuper bellandi usu exercitati, Dicecesis incolæ, ut intra breve tempus peditum tria millia, equites verò mille numeràrit. His omnibus Ducem tunc præfecit Joannem *Remuntium*, Generalem Vigiliarum Magistrum, longâ armorum tractatione militem clarum. Is enim ab anno ætatis duodecimo Martem secutus, sub Hispanis primùm, tum sub Ferdinando Secundo, ac Tertio Cæsare, stipendia meritis, in Gallicis, Germanicisque expeditionibus egregiam belli virtutem probârat; & quo tempore de pace agebatur, præclare gesserat Urbis *Monasteriensis* præfecturam.

Ut

40.  
*Auger  
et copias  
suas  
Princeps  
Monasteriensis*

1654.  
Et cum  
Principibus  
Rhenanis  
fœdus  
pacificum  
ciscitur.

41.  
Tabula  
fœderis.

Ut autem Christophorus Bernardus non minus auctoritatem domi, quam securitatem adversus vim omnem externam tutius stabiliret, Principes sibi Rhenanos, iuncto per hos dies fœdere sociavit, tabulis in hunc ferè modum vernaculè confectis.

Quandoquidem Reverendissimi, Serenissimi, ac Celsissimi Principes & Domini, D. Maximilianus Henricus Coloniensis &c. D. Carolus Casparus Trevirensis &c. ArchiEpiscopi, D. Christophorus Bernardus Episcopus Monasteriensis &c. & D. Philippus Guilielmus Comes Palatinus Rheni, Dux Neoburgicus &c. post pacem Monasterij nuper, & Osnabrugi conclusam, periculosos in Imperio motus necdum ex integro cessasse, sed varias adhuc, molestasque, ac penè intolerabiles oppressiones, hospitaciones, transitus, ac militares exactiones, imò & obsidiones, aliásque belli insolentias, ac territamenta, diversis Electoribus, Principibus atque Statibus Germaniæ, contra pacis sacra pacta, & Imperij leges, infesta conspexere; ac plura huiusmodi mala in futurum possint emergere; haud immerito officij sui, quo vel ipsa natura duce, commissas à DEO provincias ac subditos suos, pro viribus tueri obligentur,

tur eaq; media opportunius adhibere, quibus a suis, suorumq; verticibus, vim omnem, injuriãq; propulsent, ac in casum hujusmodi secundum pacis & Imperij leges mutua sibi auxilia ferre queant; Hinc aliememorati Principes per Ministros, Consiliarios, & Legatos suos convenere, eõq; sine pacti sunt Societatem in formã subsequente.

I. Hoc fœdus seu unio ad nullius offensionem, multo minus seu generalem, seu particularem aliquem in Imperio motum, sed eò tantum collimet, ut eorundem Principum Ditiones ac subditi contra predictas violentias, invasiones, hospitiationes, transitus, delectus & exactiones militares, aliãsq; injurias, quocunque nomine nuncupari, aut à quocunq; etiam inferri velint, uti & adversus intestina mala, dissidiãque conserventur ac protegantur.

II. Quod si igitur Confœderatos hos Principes, eorumque terras ac subditos, aut eorum aliquaem istiusmodi violentiã, hospitiatione, transitu, delectu vel exactione militari aut aliã quavis injuriã, seu intestinis etiam turbis prater spem gravari, vel hujus etiam confœderationis causã impeti aliquandò contingat, eo casu constantem sibi opem, viresq; subsidiarias mutuò promittunt; nec ab eo re-

P

cedi

1654.

cedi poterit, nisi consensus omnium accedat, aut decreto Bellici Consilij id approbetur. Quod si vero ex confederatis duos, aut unum duobus, pluribusve in locis molestari eveniat, Senatus Bellicus cum consilio cujusque militia Praefecti expensarum momentis prudenter statuet, quid facto opus.

III. Quo solidius autem haec defensio mandetur operi, conventum est, ut non modis singuli arces ac fortalitia sufficienti presidio communiant, militemque patrium ad cujusque provinciae defensionem ordinate semper instructum, paratumque habeant; sed in quemvis etiam eventum, certum equitum, peditumque numerum conscribant, & quidem Elector Coloniensis, qui & Princeps Leodiensis quater mille pedites, ac equites mille. Elector Trevirensis pedites mille quingentos octuaginta, & equites quadringentos. Princeps Monasteriensis mille octoginta pedites, equites ducentos septuaginta. Dux vero Neoburgicus mille ducentos pedites, equites vero trecentos; eosque delectos, nec pugnae inhabiles, suosque singuli hoc designatos numero, ubi necessitas exegerit, sine mora in subsidium promptè submittant. Quod si vero praeter opinionem imminens periculum auctiorem numerum exigeret, Confederati

unani-

unanimitèr statuent, an & quomodo auxiliare copia secundum præinsertam proportionem amplificanda sint.

IV. Si Confœderatorum quempiam insperato casu ita de repente opprimi accideret, ut promissas ipse copias in campum educere prohiberetur, nibilo-tamen minus reliqui, ubi commoniti fuerint, auxiliaribus ipsi, promptisque manibus succurrent, Eundemq; & illius subditos ac terras, non secus ac proprias iuvare & liberare admittentur.

V. Armorum autem Ducatum, & militaris justitiæ administrationem habeant singuli, ac militem quisq; suum, quamdiu is a Confœderato corpore divisus intra propria cujusque provincia septa, tractumq; substitutus est, ordinet, aliatq; arbitrato suo.

VI. Quod si verò copię fœderatorum conjunctæ fuerint, ea militiæ servetur administratio, ut cujusq; Principis militiæ Præfectus, ius suis dicat, inque delinquentes suos animadvertat, atque ea curet, quæ infra articulo nono sancita sunt; si autem delicta Generalitatem concernant, ex tunc Generalis cum Senatu bellico statuatur, quod iuris.

VII. Quoad supremum autem in campo, & actionibus bellicis regimen unanimiter fœderati conveniunt, nemo ut aliquam

pra alio eminentiam vel maius jus aut potestatem, sub quocunq; etiam pretextu directe vel indirecte, arrogare sibi, vel ambire unquam praesumat; sed penes illum Principem, cui suppetia mittuntur, & quoad expeditio bellica in ejusdem territorio perduraverit, adhibito secundum articulos sequentes Senatûs bellici consilio, suprema semper authoritas resident & potestas. Si vero quispiam belli-Dux universo fœderatorum militi in campum educendo conspirantibus omnium suffragiis praeficiatur, is uti commune sacramentum omnibus ac singulis dicet, ita generali super gubernio omnem adimet difficultatem.

VIII. Quod si autem in loco à fœderatorum Principum terris separato seu tertio agenda res sit, è cujus tunc Principis territorio ad locum tertium transibitur, ejusdem militia Praefectus supremâ potestate fungetur, donec ad proprios lares fœderata copia remeârint; quando vero sociati Status è proprio singuli fundo copias suas ad locum tertium emittunt, superior, seniôrq; Officiatus de consilio Senatûs bellici, gubernabit. Sin autem consensus omnium Belli-Ducem creaverit, illius imperio standum erit.

IX. Ad promovendâ vero meliùs hanc fœderatorum defensionem visum est qua-

tuor viros seligere, Principibus suis sacramento adstrictos, quorum munus erit conflato fœderatorum militi assistere, rerum, militiaque pondera sedulo expendere, militare Concilium (si quando necessum sit) pro virili urgere, eiq; continuam impertiri presentiam suam, rei tormentaria, annona, comœatus, ac generatim omniam, que conservando militi, promovendaq; militia servierint, curam habere. Et quia præter hosce Consiliarios singuli Principes auxiliariis copiis suis Ducem præficient, hunc semper Belli-Dux & plures etiam juxta Belli consuetudinem ac rerum exigentiã unã cum dictis Consiliariis convocabit, consultationis puncta ordinatè proponet, vota colliget, decidet & concludet, decisa, conclusaque per Superiorem, Senioremq; Officialem executioni mandabit, nec quidquam præter id, quod in Concilio ita placitum fuerit, unquam attentabit.

X. Singuli tam in proprio quam alieno territorio suum militi stipendium solvent, & maxime quidem, dum in peregrino fundo fuerit, utq; damni & insolentia cujusvis occasio certius evitetur, decendio solutionem anticipabunt, eumq; in finem singuli fœderati Commissarium constituent, eidemq; integri propterea mensis stipendium anticipatò concedetur.

1654.

222 CHRISTOPH. BERNARD.

tur. Quod si etiam solutionem male differri, aut aliunde à subditis confœderatorum provinciis obicem poni, & vel ideò præter spem suppetias tardari, vel etiam omnino sisti contingeret, reliqui statuent, quâ demum vici cunctatoribus hujusmodi vel refractariis debeat obviari.

XI. Coniuncto militi cibarium panem suppetabit ille, cuius fundo auxiliariis institerit miles, & quamdiu communis isthic consensu steterit, ita tamen, ut ceteri pro numero subsidiarii militis, expensi panis pretium suppetitanti denuò refundant. Quare in suo quisque territorio annonam tempestivè curabit, sed præter cibarium panem, hospitium ac pabulum, ex vi presentis fœderis, curare quidquam aliud non obligabitur, nec etiam alij prætendent vel extorquebunt. Quidquid supra id exegerit fœderatus miles, æquo subditis pretio compensabit. Si vero miles in loco tertio aut tali subsisteret, ubi vel deficeret annona, vel illius procuratio fœderatorum alteri nimium difficilis foret, beneficium tunc vectura proximior curabit, & æquo pretio solvet miles.

XII. Ne tunc verò annona vectura impediatur, nec minus subditorum oner-



ra praeaveantur, quam debita procurretur solutio, disciplina militaris rigide servetur, in transgressores acrius & citra personarum acceptionem, aut in ipsos militia Praefectos, si incurij fuerint, serio animadvertatur. Sin etiam miles auxiliaris damnum provinciae aut subditis impune intulerit, liceat Principi, cuius subditi laesi sint, a laedente damni exigere reparationem.

XIII. Apparatum bellicum copiis necessarium, juxta numerum militis, & locorum opportunitatem suis singuli curabunt. Quoad rem vero tormentariam, id ad tempus conventum est, ut quilibet militi suo tormenta campestris, sexcentis videlicet duo, iisque tertium adjungat, quod sex evibret plumbi, ferrive libras; machinas vero curules, eoque requisita procuret is, cuius in fundo aut loco viciniore expeditio bellica fuerit, sumptu tamen foederatis omnibus communi.

XIV. Miles subsidiarius dum iter facit, festinet, nec extra necessitatem in stantiis cunctetur; hospitium vero, sicut & cibarium panem ac pabulum modo superius pacto procuret idem ille, cuius territorium transitur, eumque in finem Commissarios designet; cetera vero, prout ante statutum est, observentur.

P 4

XV. Quid-

1654.

224 CHRISTOPH. BERNARD

XV. *Quidquid demum vel unioni praesenti vel futurae aliquando expeditioni sive compendiosum, sive noxium Foederato cuiquam occurrerit, id in commune statim germanam fide conferetur.*

XVI. *Si qui Principes alii aut Ordines Imperii citra discrimen Religionis, huic foederi nomen dare, eidemque implicari desiderent, an ii, & quae demum lege admittendi sint, communi postea sociorum consensu statuatur. Si quis vero uni alterive foederatorum sese insinuet, id caeteris extemplo significetur. Insuper nihilominus foederati liberum sit, secundum pacis Westphalicae instrumentum (citra fraudem tamen praesentis unionis) in diversum ab hoc foedus cum aliis Magnatibus coire.*

XVII. *Confederationi huic, quae ad vim duntaxat propulsandam inita, & in ipsis Imperii ac pacis legibus fundatur, biennium proxime secuturum foederati firmiter adhaerebunt; circa eius prorogationem, uno ante biennii lapsum semestri, prout temporum ac subjectarum cuique provinciarum ratio exigere videbitur, denuo conveniuri. Interea vero Sacram Caesarem Majestatem de foederis huius coalitio-*

ne

ne devote edoceri oportebit. In fidem  
omnium quatuor presentis pacti exem-  
plaria confecta, & donec ab ipsis  
Principibus signentur manibus Lega-  
torum subscripta sunt. Colonia Agrip-  
pine. Die XV. Decembris Ann.  
M. DC. LIV.

## Subscripsere

Pro Eminentissimo Trevirensi

*Lotharius Baro de Metternich.*

Pro Serenissimo Colonienſi

*Franciscus Ego Comes de Furstenberg  
Petrus Buschman Cancellarius.*

Pro Celsissimo Monasterienſi

*Guilielmus de Furstenberg.*

Pro Serenissimo Neoburgico

*Henricus à Winckelhausen.  
Guilielmus de Golstein.*

FINIS LIBRI SECUNDI.